De Aetolorum praetoribus intra annos 221 et 168 a. Chr. n. munere functis.

Dissertatio inauguralis

quam

Amplissimo Philosophorum Ordini

Universitatis Regiae Bavaricae

Fridericiae-Alexandrinae Erlangensis

summorum in philosophia honorum rite capessendorum causa

proposuit auctor

Hugo Gillischewski
Wolgastanus.

Examen superavit idem ante diem XII. Kal. Jan. MDCCCXCVI.

BEROLINI.
MAYER ET MUELLER.

Viro doctissimo

Johanni Pomtowio, Dr. phil.

optime de me merito

et

Parentibus dilectissimis

hasce studiorum primitias sacras esse velim.

Singulorum praetorum Aetolicorum historiam describere temporumque eorum rationem quam accuratissimam circumscribere quae annorum 221 et 168 finibus continentur, id est eorum quibus praecipue Romanorum auctoritas atque studium inter Graecas res intercedebat, haec dissertatio conabitur quantum auxilio classicorum scriptorum et Polybii Livii et Plutarchi Appiani Zonarae Justini atque inscriptionum Delphicarum nobis exstantium fieri id poterit.

Admonuit me, ut hunc laborem susciperem, Johannes Pomtowius, phil. Dr., rerum epigraphicarum peritissimus et studiosissimus, cuius in domo et familia semestris 1893/94 spatium Ebersvaldae peregi, in indicibus praecipue nominum ad inscriptiones Delphicas pertinentium constituendis occupatus. Ille enim vir doctissimus auctoritate Regiae Borussicae scientiarum academiae Delphicas inscriptiones, novum Corporis inscriptionum Graecarum volumen, editurus benigne et liberaliter ita in studium inscriptionum me induxit, ut brevi me ipsum inscriptionum copia alliceret ad investigandum et perscrutandum. Quod ad materiam meae dissertationis attinet, earum quoque inscriptionum similia quae nondum edita aut publici iuris facta sunt, ad conscribendum opusculum Pomtowius mihi tradidit, quod officium grato animo accepi. Dico novas praecipue collationes inscriptionum a Weschero, Foucarto, Haussoulliero aliis iam editarum atque nova ectypa chartacea a Pomtowio ipso Delphis facta, quorum auxilio imprimis in cognoscendo scripturae singulorum decretorum genere et in tempore eorum definiendo aliquantum proficere possumus. Earum rerum quidquid debetur Pomtowio, singulis dissertationis locis accurate adnotavi.

Ipsum inquirendi initium duxi ab accuratissime cognoscendo et pertractando libro Duboisii Francogalli Parisiis

anno 1885 edito qui inscribitur 'les ligues étolienne et achéenne' qui copiosius de foedere Aetolico locutus in chronologicis quaestionibus et ea in suum usum vertit quae enucleavit Aug. Mommsenius et ea quae Theod. Bergkius, etsi huius nomen silentio praeterit. Praecipue iterum iterumque pertractanda mihi erat tabula illa praetorum ab anno 220—168 munere functorum a Duboisio composita, quae his verbis inducta 'en raison de l'importance de cette magistrature nous croyons devoir donner ici un tableau des stratèges nommés avec une date précise dans les inscriptions etc.' ipsa quaestionem habere me iussit, possitne fieri, ut superemus ea quae invenit ille Francogallus. Huc accedit quod catalogus de quo dicimus, quamvis excellens et bonum sit opus a Duboisio conscriptum, non solum numerum praebet magnum locorum falso citatorum[1]) quos nequaquam erratorum index corrigit, sed etiam neglegentius citat ipsos Polybii et Livii locos quorum hac in re ratio habenda est. Non melius ab eo tractantur inscriptiones iam pridem editae et cognitae, ita ut non inutile videatur denuo conari indicem praetorum Aetolicorum rectum plenumque reficere, praesertim cum post Duboisium nemo, quod sciam, repetiverit tales labores. Ceterum adnotandum hic videtur, Duboisii librum a principio id spectare, ut collatis inter se publicis Achaeorum et Aetolorum foederis finibus singularum societatum genus instituta voluntates partes illustret atque exponat, esse hunc librum id, quod 'Tendenzschrift' nostra lingua dicere solemus.

Iam priusquam de singulis praetoribus disserere incipiamus, pauca nobis de materia et genere modoque nostrae dissertationis dicenda sunt.

Posita est summa omnium rerum in Delphicis inscriptionibus. Earum in studium postquam inde ab Odofredo Muellero non pauci incubuerunt ut Boeckhius Curtius Rossius Thierschius Lebasius alii, primi opus omnium qui tum exstabant textuum

---

[1]) corrigenda: Εὐρύδαμος Paus. VI. 16. 1 ibid. X. 16. 4. — Σκόπας (2) Tite Live XXVI. 24. 7. — Λύκισκος Tite Live XLII. 38. 2. — Ἀλέξανδρος (2) delendus n. 347. — Θόας (2) delendus n. 410 — alia. —

colligendorum emendandorum edendorum susceperunt Francogalli illi Wescherus et Foncartus in libro anno 1863 Parisiis publici iuris facto qui inscribitur 'Inscriptions recueillies à Delphes et publiées pour la première fois'. Sed quamvis utile sit hoc opus, desiderantur tamen in eo paene omnia quae pertinent ad apparatum, ut ita dicam, criticum. nam quicunque volverit librum, desiderabit, opinor, rationem et consilium in ordinandis textibus, desiderabit commentarios in quibus de locis de lapidibus de materia de scriptura aliisque rebus agatur quae opus sunt ad inscriptionem accurate cognoscendam et interpretandam. Desunt similia, desunt ectypa, desunt mensurae, nihil nisi textuum verba habemus quibus in constituendis saepissime errasse editores nunc constat satis. qua de causa non solum ad posteriores saepius, sed etiam ad priores viros doctos in his rebus versatos confugere debemus[1]. Maxime dolendum est, de temporibus singulorum decretorum nihil attulisse Francogallos.

Archontum Delphicorum tempora constituenda et ordinanda curavit Aug. Mommsenius anno 1866 dissertatione illa suo iure semper laudibus elata quae inscribitur 'Delphische Archonten' Philologi in tom. 24 pag. 1 sqq., quae adhuc fundamenti loco fungitur apud omnes eiusmodi res tractantes viros. De ea quod copiosius dicam, non est; adnotandum solum id videtur mihi, de praetoribus quoque Aetolicis Mommsenium eadem sagacitate egisse, id quod nostra hoc loco maxime interest. Secuti eum sunt in chronologia Delphicarum inscriptionum magis magisque definienda praecipue Theod. Bergkius ('Delphica' in Philologi tom. 42) et nuperrime Pomtowius (in Fastorum Delphicorum priore parte, Fleckeisenii in annal. 1889 I, posteriore 1894 et in 'Beiträge zur Topographie von Delphi'), ita ut de archontibus Delphicis vix dubitari possit.

De praetoribus Aetolicis post Bergkium primus verba fecit Duboisius de quo modo diximus. sed cum omnia quae

[1]) praeter publicationes illas in Bulletin de corresp. hellénique inprimis ab Haussoulliero editas praeter ceteros Pomtowius de augendis supplendis interpretandis textibus optime meruit.

dixit et conscripsit ille stare prorsus non credamus, denuo eandem rem tractandam nobis sumpsimus.

Elegimus igitur e ditissima inscriptionum copia eas quibus Aetolici praetoris nomen praescriptum est, quarum plurimae in tertia Wescheri-Foucarti operis parte continentur id est in 'actes d'affranchissement', in servorum manumissionibus. Iis fere decretis in quibus loco sive testium, sive praedum, sive manumissorum Aetolici cives funguntur praeter Delphicum archontem nomen Aetolici quoque praetoris — στραταγέοντος Αἰτωλῶν τοῦ δεῖνα — praescribi solet. Quo fit, ut plurimorum tempora facile constituere possimus. Aliorum tempora ratione vel coniectura definire conati sumus, aut ex historicis scriptoribus iuvenire possumus. Ossa igitur, ut ita dicam, indicis praetorum a nobis componendi praebent inscriptiones, sanguinem et carnem historici, imprimis Polybius et Livius; nam utrumque secuti enarramus vitam factaque τῶν στρατηγῶν, additis iis quae de familia genere affinitate patria praetorum colligi possunt et constitutis familiarum stemmatis. Polybio plura debemus; nam quamvis arguatur a viris doctis propter Achaeorum amorem iniustus fuisse in Aetolicum foedus, in chronologia tamen constituenda et in rebus enarrandis de industria vix obscuravit vel commutavit res, sed certissimus auctor habendus est, cuius verba sequi non dubitabimus.

Non pauca Livius nobis praebet, praecipue eis locis quibus Polybii[1]) commentarios nobis deesse dolemus. Accedunt Plutarchi Zonarae Appiani Justini complures adnotationes minoris momenti, solum ad prioris utriusque verba supplenda adhibitae, quippe qui ex illis hauserint.

Citamus Delphicas inscriptiones secundum Wescheri-Foucarti editionem, cum Pomtowii opus nondum editum esse valde doleamus.

Polybium secundum Hultschii, Livium secundum Weissenbornii editionem citamus.

---

[1]) cf. Nissen Zur Oekonomie des Polybios in Nov. Mus. Rhen. tom. 26.

Ceterum ad electionem munus officia praetoris Aetolici quod attinet, inspiciendus est Brandstaeteri liber, qui inscribitur 'Geschichten des ätolischen Landes, Volkes und Bundes (1844) praeter Duboisii de quo diximus opus.

Sed iam ineamus in medias res.

Aristo.

Primum eorum temporum, de quibus hic agitur, locum, tenet Aristo cuius nomen apud Polybium exstat. Munere fungebatur ab anni 221 autumno usque ad anni 220 autumnum; nam circa aequinoctium autumnale Aetoli, ut Polybius IV. 37. 2 dicit in populi contione praetorem creare solebant. Quod ad temporum rationem attinet, Aristonis annus praeter cetera eo circumscribitur, quod eodem anno Philippus Demetrii filius Macedoniae regnum accepisse dicitur. Certe vero Antigoni Dosonis mors et imperium a Philippo acceptum in anno 221 ponenda sunt.

Aristonem dicit Polybius IV 5, 1 propter infirmitates quasdam corporis ad res militares ineptum fuisse — διά τινας σωματικὰς ἀσθενείας — omnesque res gerendas affinibus suis cum Scopae tum Dorimacho reliquisse. Sed cum pauciora de hoc viro sciamus, quid de moribus eius aut de factis iudicandum sit, difficile est dictu. Narratur Dorimachum atque Scopam quondam nuntios misisse ad eum, qui ab eo peterent, ut statim naves ad Pheiam insulam in Eleorum finibus sitam mitteret scilicet ad rapinas domum reducendas (Polyb. IV 9. 9), id quod silentio concessum a praetore videtur esse (ib. IV 9. 10). Praeterea Aristonem quamvis Aetoli res armis hoc anno gererent, se nihil de iis scire simulavisse, quae facta essent, domique sedisse, se neque cum Achaeis bellum gerere et pacem servare professum. Hoc Polybius l. l. simplicissimum et quasi puerile consilium declarat, cum perversi stultique ei habendi videantur, qui manifestas res verbis obscurari posse putent. Schornius[1]) postquam Aristonem et mente et corpore infirmum fuisse dixit, brevi post de

[1]) Geschichte Griechenlands p. 140 et 143.

impudicitia eiusdem verba facit, ea de causa eum vituperans, quod de praesente pace locutus sit. Kortuemius[1]) infirmum simplicemque praetorem Aristonem affinium facta retinere non potuisse opinatur. sed manifestum videtur et ipsis quasi verbis declaratur, omnes expeditiones hoc anno a Dorimacho Scopaque iniussu concilii Aetolici et magistratuum Aetolicorum factas esse, quae prorsus privatae essent (Polyb. IV 5. 9). Sed utrum praetor cuius impotentiam ad res bellicas et militares Polybius signat — πρὸς πολεμικὴν χρείαν — dolosi silentii magistratuum solum particeps fuerit, quod eos defendebat contra reprehensiones omnes, an ipse consilium inierit an probaverit, an instrumentum quasi aliorum principum fuerit suaque dignitate eos protexerit, vix diiudicandum est. Ceterum cur Aristonis nomen desideretur in Duboisii libro, non intelligitur praesertim cum eius tempus 'par une date précise' quod Duboisius ipse postulat, certe circumscribatur.

In inscriptione illa quae apud W(escherum)-F(oucartum) n. 1 traditur, a Pomtowio propter scripturae proprietates in anno 227 (?) posita loco verbi traditi et adhuc lecti (στραταγέοντος) Ἀρχίσωνος legendum esse Ἀρίστωνος, speciosa sane et facilis coniectura est, sed nequaquam probata, quae e lapicidae errore — iis temporibus saepius occurente — illustranda esset. sed Ἀρχίσωνος nomen servo quoque adscriptum inventum est in manumissione illa Bullet. de corr. hell. V n. 21.

Dorimachus Trichoniensis. Scopas Heracleensis.

Plura iam et manifestiora de Dorimacho et Scopa nobis tradita sunt qui cum saepius coniuncti a scriptoribus nominentur, hoc quoque loco simul et una videntur tractandi, ut longas verborum repetitiones fugiamus.

Et Dorimachus et Scopas Aristonis affines dicuntur (Polyb. IV 5. 1), quamquam de affinitatis gradu nihil constat.

Natus erat Dorimachus Trichonii, Nicostrati filius illius qui laesa infideliter pace Boeotorum concilium per vim

---

[1]) Geschichte Griechenlands III. p. 207 cf. Justin. 29. 1.

agressus cum Lattabo[1]) socio ut Scytha sive Galates ibi saevierat (Polyb. IV 3. 5, IX 34. 11). Eius nomen Frontinus quoque praebet (strat. I 4. 4), fraudem bellicam de eo afferens.

Δωρίμαχον[2]) illum, qui in Amphictyonum decreto CIA II 551 Aetolorum hieromnemo nominatur, si modo decreti aetas anno 279 a. Chr. n. recte definitur, patrem Nicostrati nostri, avum Dorimachi nostri fuisse, veri simillimum est. Nicostratus porro Aetolorum hieromnemo apud W.-F. n. 2, ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς Νικάρχου ca. annum 220 exsistit, tertius Dorimachus, praetoris nostri nepos apud W.-F. 422, ἄρχοντος Σωξένου in sexto sacerdotio Delphico[3]). Temporibus errat Bergkius, hunc praetorem eundem esse atque avum opinatus, de qua re scripturae quoque proprietates utriusque inscriptionis comparandae sunt (Philologi in tom. 42).

Dorimachi nomen ceterum nequaquam rarum est. Aetolo homini adscriptum invenitur apud Le Bas n. 1179: Δωρίμαχος Καλυδώνιος qui δικαστοῦ i. e. arbitri inter Melitaeenses et Peraeenses munere fungitur, et in Bull. d. c. h. V. n. 36: Δωρίμαχος Καλλιπολίτης qui testis vice fungitur. sed extra Aetoliae quoque fines idem nomen reperitur cf. Lebas n. 1137, CIG. Add. n. 1739b, Collitz (griech. Dialektinschriften) n. 1389, CIG. n. 2458[4]).

De Scopae patria et genere ex inscriptione Bull. d. c. h. V. p. 408 anno 200 incisa discimus. exsistit in ea inter 'μάρτυροι' Σιμάδας quidam Σκόπα Ἡρακλειώτης qui, quod ad temporum rationem pertinet, sine difficultatibus, ut ca. annum 225 natus, filius nostri Scopae ca. annum 250 nati inseri possit. Idem Σιμάδας anno 186 quoque apud W.-F. n. 198 μάρτυρος munere fungitur. Quae cum ita sint, hoc stemma constituamus

---

[1]) cf. Σωσίπατρος Λαττάβου Ναυπάκτιος apud W.-F. manumissor anno 185 a. Chr., fortasse nostri Lattabi filius.

[2]) de scribendo nomine cf. Bergkius, Phil. in tom. 42 p. 241 not.

[3]) de sacerdotiis Delphicis cf. Pomtow. fast. Delph. I.

[4]) hoc in numero Νίκι[ππος] Δωριμάχου in statua Therae inventa legitur, sed incertum dubiumque primum vocabulum est, in Νικόστρατος forsan mutandum. — Νικόστρατος Νικοστράτου quoque Ναυπάκτιος apud Lebas. 1179 non neglegendus est. —

[Σιμάδας (τοῦ δεῖνα) Ἡρακλειώτης]
ca. annum 250.

Σκόπας [Σιμάδα Ἡρακλειώτης]
ca. annum 225.

Σιμάδας Σκόπα Ἡρακλειώτης
ca. annum 200.

atque Heracleam urbem patriam aut natalem Scopae habeamus. utrum enim urbis nomen quod post propria Aetolorum nomina legi solet de ea urbe intellegendum sit. in qua natus Aetolus, an in qua civitatem habeat. non diiudicandum est, etsi docti viri natalem fere locum id signare putant. Occurit nobis Dorimachus admodum adulescens primum anno 221 qui, postquam Messenia illis temporibus ad Achaeorum foedus inclinans in Aetolorum praedae cupidissimorum animis spes incendit magnas, cum Phigalia urbs custodienda opportunam causam praeberet, in Peloponnesum missus est, ut Aetolorum res gereret[1]). Quo cum venisset, statim propriis consiliis captis impudenter et arroganter se gerebat (Polyb. IV 3. 1 sqq.). Neglecta enim pace piratis ad Messeniam appulsis concessit, ut praedas agerent — ἐπέτρεψε τοῖς πειραταῖς λῄζεσθαι. — Qua calamitate in dies crescente Messenii irati legatos ad Dorimachum miserunt, qui auxilium ab eo peterent. Qui postquam aliquamdiu has res nihil ad se pertinere simulavit, denique ipse in Messeniam venit, ut causam apud cives ageret.

Sed cum hoc quoque loco illuderet eos atque iocaretur superbe, et praesertim cum praesente Dorimacho maritimi latrones impetum in oras facerent, Messenii suadente Scyrone ephoro Dorimachum corriperre non dubitantes non prius se liberaturos esse eum dixerunt, quam res ille reddidisset et iniuriam Messeniae factam se soluturum esse promisisset. Contra Dorimachus illos se corripientes Aetolorum gentem offendisse vociferatus neque impune id facturos fuisse, denique postquam Scyro ille ipsum Dorimachum verbis violavit, multitudini cedere et postulata promittere coactus est. Tum iratus

[1]) de qua re cfd. Brandstaeteri l. l. p. 342—344 et 348 not. adnotationes rectissimae.

nihil nisi ultionem in animo volvens moliensque domum rediit. Quibus factis Aetolos bellum Messeniis indicere non potuisse, cum ne minima quidem belli causa iis prompta esset, perspicuum est neque in Dorimachi consilio id erat. Scopam ille amicum et affinem adibat, cui bona expeditionis in divitem Messeniam, solam Peloponnesi e terris bello Cleomenio intactam faciendae exponebat facilitatemque atque opportunitatem eius rei ostendebat id praeter cetera admonens, se re bene gesta gratiam Aetolorum gentis summam sibi comparaturos esse — συνίστανε τὴν ἐξακολουθήσουσαν εὔνοιαν παρὰ τοῦ τῶν Αἰτωλῶν πλήθους Polyb. IV 5. 6 — id quod postea praetura utrique a populo data satis docebat. Si causam expeditionis in promptu habere putaret necesse, Messeniorum ad Achaeos et Macedones inclinationem plus satis esse.

His verbis ut Scopam suosque sibi conciliaret, Dorimacho contigit, et iniussu concilii gentis atque apocletorum consilium susceptum est. Contra Messenios Epirotas Achaeos Acarnanes Macedones statim uno eodemque tempore profecturi erant. Macedonica navis apud Cytheram insulam correpta, Epirotarum ora direpta, Thyreum oppidum in Acarnania situm oppugnatum, Clarium Peloponnesi municipium captum est, quod aliarum rapinarum caput et refugium esset. Achaeis contra et Macedonibus bellum parantibus Dorimachus et Scopas circa Rhium exercitu collecto naves instruxerunt et cum in Peloponnesum traiecissent impetum in Messeniam maxime Aetolis invisam fecerunt. Vociferantibus iis, Achaeis se iniuriam non illaturos esse, ager Achaicus direptus et vastatus est ab exercitu fines pervagante. Tum a Phigalia profecti Messeniam ipsam vastaverunt undique praedam agentes, cum nusquam resisteretur. Interea Achaei in concilio Aegii habito Messeniorum querelis auditis Aetolos pacem laesisse intellexerunt, et quod invitis civibus Achaiam pervagati essent, et quod praedam ex ea egissent, atque arma contra eos capere constituerunt.

Itaque Aratus ut consulta faceret excercitu Megalopoli collecto nuntios ad Aetolorum duces misit, qui ab iis peterent, ut Messenia statim relicta domum redirent ita, ut per Achaiam exercitum non ducerent. Inviti Dorimachus et Scopas parue-

runt, quippe qui hostibus impares se esse intellegerent. In Elidem, postquam a Cylleniis et ab Aristone praetore naves postulaverunt, profecti sunt, in veterum sociorum et commilitonum fines[1]).

Propterea Aratus maiore excercitus parte domum missa cum minore Aetolos subsecutus est, ne impetus iterum in fines civium facerent. Contra Dorimachus et Scopas (Polyb. IV. 10. sqq.) qui quamvis subitum Aetolorum impetum timerent, tamen congredi cum eis volebant, praeda quam celerrime in naves collata domumque missa, ut cum hostibus manus consererent Olympiam profecti sunt neque id neglexerunt, se fugato Arato ex animi sententiis diripere et vastare posse. Itaque apud Methydrium castra posuerunt, Achaeis apud Caphyas in castris manentibus. Cum vero brevi post Scopas et Dorimachus Orchomenum peterent, etsi Achaei in pugnam ituri a castris proruperunt, Aetoli locorum inopportunitatem cognoscentes atque caute proelium vitantes agmine optime instructo et ordinato in Oligyrtum abscesserunt, quo loco Aratus tantopere imperatoris prudentiam neglexit, ut Aetolos aggressus cladem haud ita parvam ab iis acciperet fugaque celerrima salutem petere cogeretur. Tum impune Dorimachus et Scopas per Peloponnesum profecti finibus satis direptis et vastatis per Isthmum redierunt.

His rebus gestis Achaeos socios ad arma vocasse et Messenios in societatem accipi iussisse, praesertim cum ipsi vellent, consentaneum videtur. Ab altera parte Aetolorum concilium expeditionibus Dorimachi et Scopae silentio neglectis cum Lacedaemoniis et Messeniis pacem agere, cum Achaeis, postquam Messenios in societatem accepissent, bellum gerere constituit, id quod Polybius (IV 15. 9) vehementissime in Aetolorum mores invectus summam stultitiam perversitatem inconstantiam — πρᾶγμα πάντων ἀλογώτατον — nominat.

Messenia interim Philippo rege aut Epirotis non repugnantibus in foedus Achaicum accepta est, cum Lacedaemon

---

[1]) cf. Polyb. IV 9. 10. ἀεὶ γάρ ποτε τῆς τῶν Ἐλείων ἀντείχοντο φιλίας Αἰτωλοὶ χάριν τοῦ διὰ τούτων ἐπιπλοκὰς λαμβάνειν· πρὸς τὰς ἁρπαγὰς τὰς ἐκ Πελοποννήσου καὶ λῃστείας.

— occulte primo — foedus cum Aetolis faceret et Scerdilaedas Illyrius conciliatoribus Dorimacho et Scopa — IV 16. 11 — foedus cum iisdem pangeret ea condicione, ut coniunctis viribus Achaicam societatem aggrederentur, statimque uterque Aetolus et Illyrius in Achaiam impetum fecerunt. quod hoc temporis puncto iterum Aetolorum praetor profitebatur, se de bello cum Achaeis gesto sive gerendo nihil scire, manifestum est magistratuum Aetolicorum consilium: res reddere oppressis nolunt, probant civium facta et expeditiones iniustas.

Subito tum Dorimachus Cynaetham in Arcadia sitam venit — Polyb. IV 17. 3 — urbem sibi a traditoribus proditam cepit; in urbe militibus diripienda data praesidio relicto Lusos profectus est. Cuius loci Dianae templum ne diriperet, impeditus est solum eo, quod pars sacrorum instrumentorum ei tradebatur. Tum Clitorem profectus frustraque expugnare urbem conatus Lusos rediit et tum tamen templum Dianae diripuit — ὅμως τὰ θρέμματα τῆς θεοῦ περισύραντες ἀπήγαγον IV 19. 7. Aucto modo Cynaethae urbis praesidio nuntius allatus est, appropinquare Macedones, quo audito urbs incensa exercitusque Rhium reductus est; et Demetrio Phario qui a Taurione Macedone reditum Aetolorum impedire iussus erat, posterius veniente, impune Aetoli domum venerunt.

Interim Philippus Corinthum venerat, cum sociis de Aetolicis rebus deliberaturus: omnibus ut bellum indiceretur Aetolis placuit, qui in annum insequentem (220/19) Scopam saepissime a nobis nominatum creaverunt praetorem, quem Polybius omnium scelerum a se enarratorum auctorem fuisse affirmat — IV 27. 1 ὃς ἐγεγόνει πάντων τῶν προειρημένων ἀδικημάτων αἴτιος. bellum enim gerere non secundum populi consultum, sed cum totius gentis exercitu (πανδημεί) expeditiones in vicinorum fines facere neque quemquam auctorum multare, sed talium expeditionum principes ducesque praetores creare honoribusque summis afficere, hoc omni iniuria abundat — πάσης γέμειν κακοπραγμοσύνης. Dicit sine dubio Dorimachum quoque postea praetorem creatum; multo magis autem omnino in eum illa verba cadunt quam in Scopam proprie a Polybio dictum, cui multis argumentationibus ille, ut sibi obsequeretur, persuaserat.

Ad Aetolos vero quod attinet, ea sententia qua praetores creare solebant, prorsus consentanea est. gens cupidissima belli atque praedae ad eos qui facultatem dabant rapiendi et dimicandi gratiam et honores deferebat.

Huius anni initio Philippus Scerdilaedam cui Aetoli promissa non servaverant — οὐδενὸς μερίτην ἐποίησαν — sibi conciliavit, eodemque modo Acarnanes. Tum dimidia praeturae Scopae parte paene absoluta Aetoli quoque, Philippo impetum in Aetoliae fines parante, animos ad bellicas res verterunt. Dorimachus et Alexander quidam cum MCC militibus ut Aegiram urbem inter Sicyonem et Aegium septem stadia a Corinthiaco sinu sitam caperent profecti sunt. (IV 37. sqq.) A transfuga quodam Dorimachus ad hoc opus incipiendum incitatus erat et, ut erat audax impavidus strenuus, nulla mora interposita id quod necessarium videbatur parabat. Noctu cum sociis Alexandro et Archidamo Pantaleontis [1]) filio oppidum ingressus magnum in periculum incidit. Nam Aegirati arce occupata fortissime hostes aggressi sunt ita ut Dorimachus qui periculo cognito Aetolos arto agmine progredi iusserat, clade paene accepta reprimeretur. Alexandro et Archidamo in pugnantium tumultu occisis ceteri turpi fuga salutem petiverunt et necopinato domum pervenerunt.

Tum Scopas Philippo per Thessaliam profecto et Ambraciam oppugnante πανδημεί per Thessaliam et Macedoniam, Pieriam devastans, processit, ut in ipsius finibus regi noceret. Dium oppidum prope Thermaicum sinum situm adortus cum omnibus domibus gymnasio artificiis anathematis signis delevit crudeliter, quasi sibi non solum, ut Polybius dicit, contra homines, sed etiam contra deos immortales bellum gerendum esset. In Aetolia tamen ob tam nefaria scelera non modo non multatus, sed ut fortissimus homo optime de re publica populoque meritus honoratus et collaudatus est, praesertim cum per eum ad tantam superbiam provecti essent Aetoli, ut neminem ipsam in Aetoliam invadere ausurum esse confiderent. Contra Philippus rex Ambracia capta Aetolorum fines delevit

---

1) de eo cf. infra pag. 57/58.

et impune D equites Ambraciam petentes occidit: apud Conopam hostium equitatum flumen transgressurum reiecit et agros praedam undique colligens delevit. Oeniadas petiturus in Macedoniam contra Dardanos seditionem denuo moventes revocatus est: superato eorum periculo exercitum dimisit et per hiemem Larissae permansit.

Insequenti anno Dorimachus[1]) Aetolicam praeturam accepit (219/18) qui statim exercitu collecto invasit in Epirum, minus ut praedam caperet quam ut hostibus noceret. Ne Dodonensi quidem templo pepercit, sed funditus celeberrimum fanum combussit atque diruit. tum appropinquante hieme domum revertit, cum Philippus neglectis hiemis difficultatibus Larissa progressus Aetolorum partem ab Euripide ductam apud Apelaurum prope Stymphalum in Arcadia situm superaret (IV 69). Brevi post cum rex Psophide vetere Arcadum urbe expugnata Eleos in ipsis eorum finibus opprimeret, constituit Dorimachus illis auxilium ab Aetolis petentibus DC milites cum Phillida duce mittere (IV 77. 6) qui cum nihil proficeret quamquam MD Eleos et Tarentinos equites secum habebat, sed contra regis commoda in dies augerentur et gliscerent, iterum Dorimachus copias iis misit, praecipue D Neocretenses ductos a Scopa, qui a Philippo Eleos defenderent, cum ipse cum dimidia Aetolici exercitus parte in Thessaliam invaderet et Lycurgum Lacedaemonium secum societate et amicitia coniunctum in Messeniam impetum facere iuberet, quibus rebus se regem Philippum ab oppugnatione Palaeorum — Pale (?) urbs in Cephallenia insula sita erat — revocaturum esse sperabat. Huc accedebat, quod Acarnanum et Messeniorum legati a rege petebant, ut in Aetoliam irrumperet et Dorimachum a Macedonia prohiberet, praecipue ut Messeniam oppressam liberaret. Cum Aratus denique contra falsos Philippi suasores Apellem et Leontium hoc consilium adiuvaret adderetque, optime tum Dorimacho cum dimidia omnium copiarum parte absente, in Aetoliam auxiliis nudatam invadi posse, Philippus suadentibus amicis cessit atque celerrime in hostium fines

---

[1]) cf. Polyb. IV. 67. 1: apud Duboisium desideratur.

ingressus ipse quoque, ut quondam Aetoli, sacra et templa diruit atque delevit (V. 9. 2/3: εἰς ἔδαφος κατέσκαψαν · ἀνέτρεψαν καὶ τοὺς ἀνδριάντας, ὄντας οὐκ ἐλάττους δισχιλίων), Dorimachi et Scopae scelera cum in memoriam civium revocaret (V, 11, 2—12, 4). Tandem Dorimachus de Philippi in sua patria factis et de Lycurgi vana in Messeniam incursione certior factus, postquam ipse in Thessalia contra Chrysogonum et Petraeum nihil profecit, ad protegendam et defendendam Aetoliam rediit. Sed iam abierant Macedones, posterius venit auxilium, — ὑπελείπετο καὶ καθυστέρει πάντων. — Quo factum est, ut facultas maioris cuiusdam rei gerendae Dorimacho eo minus remaneret, quo magis Aetolorum gens tum pacem desiderabat.

Altera Scopae praetura in anno 211/10, non ut volunt Weissenbornius et Duboisius in anno 212/11 ponenda est. nam quod Livius 26, 4. 1 dicit: 'per idem tempus M. Valerius Laevinus . . . venit', necessario et sine dubio autumnum dicit, imprimis cum legatus Romanorum de Capua aestate anni 211 capta verba faciat. comprobant eandem rem loci quoque Liv. 26, 20. 7 et 26, 21. 1 ceterum cum concilio autumnali Aetolorum praetor creatus sit, et Scopas post contionem a Livio 26, 24, 4 enarratam in munere versetur, praeturae eius annus certo 211/210, non 212/11 est, contio vero illa habebatur brevi post praeturam ad Scopam delatam.

Tum iam bellum inter Romanos et Poenos exortum erat atque Philippus ad Carthaginienses tantopere inclinabat, ut foedus cum iis pangeret et Romanos in Illyria aggrederetur, qua re iram et odium eorum in se vertebat. Ab altera parte Aetoli tum regis pacem servantes, postquam belli exitum cauti prudentesque exspectaverunt, cum Romani victoriam reportare viderentur, ad eos inclinabant praesertim cum illo ipso tempore M. Valerius Laevinus ad Aetolicam oram cum classe appulsus a concilio peteret, postquam — teste Livio — principes sibi conciliavit, ut senatum sibi darent.

Romanorum amicitia et fide erga socios et foederatos collaudata, victoriarum nuper reportatarum laude praedicata, foedus Romanorum Aetolis obtulit, quo non solum invisum

Philippi imperium deleturi, sed etiam Aetolis Acarnaniam semper ab illis repostulatam reddituri essent. Quam orationem et Aetolorum praetor et Dorimachus socius tam strenue et diligenter adiuverunt, ut pactum iis condicionibus iniretur, ut Aetoli Philippo statim bellum inferrent, Acarnaniam a Romanis acciperent, muros urbes agros victorum populorum haberent, Romani quaecunque secum ferre possent, acciperent, atque ut neutri parti improbante altera cum Philippo pacem componere liceret. Quibus factis Philippus quoque rursus bellum parabat, sed tumultu in Thracia exorto primo retinebatur. quo nuntio allato Scopas Aetolorum praetor exercitu collecto bellum Acarnanibus intulit (Liv. 26, 25 sqq) qui quamvis clades imminerent, fortissime se defendebant. Senibus, mulieribus, liberis in Epirum translatis iure iurando viri ad pugnandum se coniunxerunt et ipsis in finibus aciem contra irruentes hostes instruxerunt. Sed Scopas cum Philippum appropinquare audivisset, in Aetoliam recessit, ut apud Dium iam regi copias reducere liceret.

Tum Laevinus Naupactum cum venisset Scopam cum copiis sese ad Anticyram Locrensem oppugnandum sequi iussit. Aetolis terra, Romanis mari munimenta adortis urbs paucis post diebus expugnata et pro societate ac foedere Aetolis tradita est.

Anno 210 Philippus, Dorimacho iterum praetura fungente — Polyb. IX, 42 — Echinum urbem ad Maliacum sinum e regione Thronii sitam oppugnabat. Eam ut ab hostibus liberarent P. Sulpicius Galba cum exercitu Romano, Dorimachus cum copiis Aetolicis appropinquabat, alter cum classe, alter cum equitibus et peditibus. Utroque frustra urbem adorto Dorimachus regem commeatu prohibere et oppugnatione desistere cogere iussus est. Sed minime hoc ei contigit, quia mari rex commeatum accipiebat. Qua de causa Echinei de salute desperantes se suaque omnia Philippi in fidem dederunt.

Anno 206/5[1]) Aetoli Dorimachum et Scopam creaverunt

[1]) secundum Nissenii chronologiam. secundum Hultschii a. u. c. 550=204; secundum Car. Fr. Hermanni anno 207 (griech. Staatsaltert. p. 740).

qui leges novas ferrent praecipue ut aere alieno populum liberarent. Officium acceperunt illi gentique leges a se conscriptas proposuerunt, sed cum alii tum Alexander quidam vehementissime eas vituperaverunt. de qua re ipsius Polybii verba conferenda sunt XIII. 2, 1 ὅτι Σκόπας ὁ Αἰτωλῶν στρατηγὸς ἀποτυχὼν τῆς ἀρχῆς, ἧς χάριν ἐτόλμα γράφειν τοὺς νόμους, μετέωρος ἦν . . . . . hoc e loco satis difficili colligit Pomtowius[1]), re vera anno 204 tertio Scopam praeturam administravisse, verba illa ἀποτυχὼν — νόμους scripta esse opinatus ab excerptore quodam Polybii nihilque referre ad rem, Polybium contra ipsum scripsisse gravia illa verba Σκόπας ὁ Αἰτωλῶν στρατηγός, quae aliter intellegi non possent. Sed excepto eo, quod de vocabulo στρατηγός dubitetur inter Polybii editores, cum alii legere malint νομογράφος, mirum illud enuntiatum ἀποτυχὼν — νόμους tamen ob dicendi proprietates ipsi historico, non excerptori attribuendum itaque interpretandum esse mihi persuasi, ut putemus Scopam illud munus solum propterea suscepisse, ut favore populi sibi conciliato iterum praeturam acciperet, sed in electione ipsa pulsam tulisse (ἀποτυγχάνειν). Quod Pomtowius ita interpretatur illud ἀποτυχών, ut Scopam dicat e praetura administranda, in qua leges conscripsisset, pulsum esse per vim, id mea quidem sententia prorsus alienum a re neque probabile videtur. Ceterum Schweighaeuserus vetus ille Polybii editor et commentator illud ἀποτυχών vocabulo 'frustratus principatu' interpretatus et Brandstaeterus qui re ipsa silentio praeterita Scopam legislatoris munus gradum quasi superioris muneris nanciscendi existimasse dicit, meam sententiam videntur adiuvare.

Tum Scopas Alexandriae se copiarum ducem exire posse aere alieno ratus et morem gerere cupiditati praedandi, neglectis civibus et patria in Aegyptum se contulit, ubi rex eum omnibus copiis praefecit et diurnum stipendium decem minarum praeter belli praedam ei promisit.

Anno 200 Aegyptio auro instructus in Aetoliam rediit ut mercennarios conduceret et in Aegyptum secum duceret

---

[1]) cf. fasti Delphici II, p. 556 not. 100.

(Polyb. XV. 25). Sex milia Aetolorum abduxit neque ullum virum relicturum eum fuisse Livius (31, 43) affirmat, nisi Damocritus ei obstitisset. Quod ad res bellicas ab eo gestas attinet, Polybius (XVI. 18) eum cum Antiocho Syriae rege apud Panium montem anno 198 pugnasse scribit, auctore usus Zenone historico Rhodio, quem quod magis in artem verborum illustrandamque luminibus dicendi orationem animum verterit quam in veritatem factorum reprehendit, cum errores inconstantias alia eiusdem generis ei obiciat in acie utriusque exercitus describenda pugnaque ipsa depingenda. quod phalangem Antiochi fortitudine et celeritate Aetolicorum Scopae mercennariorum repressam esse et recessisse, donec elephanti Graecos confunderent et perturbarent, facile credamus, cum Aetoli fortes milites strenuosque fuisse apud omnes Graecos notissimum fuisse constet. Ipsum etiam Scopam ultimum pugnandi locum reliquisse, praesertim cum ipse ut vere Aetolus manu fortissimus esset, facile persuadeatur nobis.

De Scopae fine ac morte ex Polybio (XVIII. 53) scimus. Quamquam in seditionibus Alexandrinis, cum Ptolemaeus rex nondum ipse regnum accepisset, per magnum suorum numerum et per dignitatem primum locum sibi comparare potuit, tum fortitudo et audacia tantopere eum defecerunt, ut in perniciem praeceps incideret, auctore Aristomene Acarnane. qui regis iussu Scopam reum fecit et in senatum venire iussit. cum non statim pareret, domo eius circumventa a Ptolemaeo Eumenis filio per vim in senatum tractus, a Polycrate, Aristomene, rege ipso accusatus, consentientibus exterarum gentium legatis condemnatus est. inter hos legatos Dorimachum quoque Nicostrati filium, veterem Scopae amicum et commilitonem fuisse admiramur, sed fortasse id quod Scopas in Aetolia abductis mercennariis, quibus patria ipsa egebat ad bella gerenda, egerat, veterem amicitiam solverat. Frustra Scopas contra accusantes se defendere conatus, cum acta nimis dissentirent a verbis, in vincula coniectus noctuque cum omnibus cognatis et amicis in carcere veneno interfectus est. mercennarii a Ptolemaeo rege domum missi sunt. quanta autem avaritia fuisset Scopas, post mortem eius in perquirenda domo intel-

legebatur, cum praeter divitissimam suppellectilem aliasque divitias immensa auri vis inveniretur. mortuus est anno 197/96.

De Dorimachi fine ac morte nihil nobis notum est.

Agetas Callipolites. Lochagus.

Praetor anni 218/17 est Agetas Lochagi filius (Polyb. V 91. 1) ortus Callipoli, in celebriore Aetoliae urbe. Eius in praeturam cadunt res a Pyrrhia Aetolorum duce et a Lycurgo Lacedaemonio Aetolorum partes sequente gestae contra Messeniam ab Arato Achaeorum praetore protectam et Euripidis Aetoli expeditiones atque Achaeorum in Calydoniam et Naupactiam oram incursiones. Tum Aetolorum praetor coactis copiis ad magnam expeditionem in Acarnaniam et Epirum faciendam profectus est, quae cum nusquam paene resisteretur optime cessit et Acarnanes Aetolicum oppidum Stratum adortos ad protegendos suos fines revocavit. Tum Agetas dimisso exercitu quietus remansit, quoad magna facultas dari videbatur Phanotae urbis a Macedonibus occupatae expugnandae. Alexander enim Macedonum hac in urbe dux nuntios ad Agetam miserat qui se oppidum illi tradituros esse pollicerentur fidemque verborum iure iurando confirmarent. Nocte igitur qua convenerat praetor cum Aetolis suis ad urbem profectus primo C milites electos misit, ut arcem occuparent. qui cum in urbem venissent, Alexandri Macedones succedentes magno numero necopinatos Aetolos circumvenerunt, ut in fidem eorum se dare cogerentur inviti. Postridie eius diei Agetas, cum dolo se deceptum esse intellexisset, cum copiis recessit. ipse, dicit Polybius (V 96. 8), inciderat in fraudem saepissime a se aliis paratam — οὐκ ἀνοικείῳ πράγματι περιπεπτωκὼς τοῖς πολλάκις ὑφ' αὑτοῦ πραττομένοις. — Brevi Thebis Phthioticis a Philippo captis — Polyb. V. 100. 7 — de pacis condicionibus Naupacti agebatur, denique pax ipsa facta est (anno 218).

Altera Agetae praetura fortasse in anno 201/200 ponenda est. Ad eam pertinet inscriptio W.-F. n. 384, quae Euangelum Delphorum archontem et Euclem[1]) Xenonemque Apollinis

[1]) 'Eucleidas' quod praebent W.-F. falsum est. Pomtowius in lapide ipso Εὐκλῆς legit cf. Beitr. z. Topogr. v. Delphi pag. 4 not. 4 et Fast. Delph. pag. 514 not. 4.

sacerdotes nominat, i. e. sacerdotium primum[1]) Delphorum indicat. Fortasse in anno 199/98 quoque poni possit (cf. de Chalepo quae infra disputavimus), cum in posterioribus annis locum habere non possit, quia Agetas, si modo Aetoli ante trigesimum aetatis annum primum rei publicae locum tenere non poterant, priore praetura sine dubio in annum 218 cadente, circa annum 250 certe natus est. Cum vero Aetolicorum praetorum series, id quod infra videbimus, uno tenore currens nullam praebeat lacunam nisi anni 189/88, cuius propter duos in n. 384 nominatos sacerdotes usque ad annum 198 sacerdotio functos ratio nulla habenda est, et quae per Eupolemi primam praeturam paene sine ullo dubio suppletur, cum praeterea Agetas si hunc in annum altera eius praetura caderet, sexagesimum iam vel maiorem aetatis annum agens hoc grande munus administraturus fuerit, id quod per se non est veri simile, nostra propositio magis magisque praeferenda videtur.

Contra Bergkius annum 218/17 non in primam, sed in alteram Agetae praeturam quadrare opinatus Euangelum archontem (W.-F. 384) hoc in anno ponit; ad priorem praeturam Lamiam illam inscriptionem in Σμυρναίας poetriae, Amyntae filiae, honorem incisam pertinere, quam praebet Stephanius (Reisen durch Nordgriechenland) pag. 41, cuius contextus a Lebasio n. 1142 repetitus hunc fere in modum legitur

ΣΤΡΑΤΑΓΕΟΝΤΟΣΓΝ . Λ . . . . . ΛΛΙΠΟΛΙΤΑ

Quominus hoc loco inseratur Ἀγήτα Καλλιπολίτα, id quod Bergkius[2]) proponit, repugnare per se videtur rebus, cum neque tria nominis signa, quae exstant (ΓΝΛ), neque litterarum numerus (6) quadret in hanc propositionem. alteram vocem in Καλλιπολίτα complendam esse manifestum est

---

[1]) ab anno x — annum 198 provehitur breveque erat, ut Pomtowius ostendit Fast. Delph. I pag. 514.

[2]) contra Bergkii temporum rationem cum aliud tum id considerandum est, numerum illum 384 ut manumissionis decretum vix ante annum 201 scribi potuisse, cum hoc ipso anno Delphis manumissiones principium capiant neque vetustiores nobis exstent. fortasse vero haec de qua agitur inscriptio antiquissima eiusmodi habenda est.

(— saepissime Λ et A inter se commutantur —), ita ut desideratarum litterarum duo iam signa habeamus. quid autem de quattuor punctis et de tribus signis ΓΝΛ non intellegibilibus credendum est?

Pomtowius neglectis signis ΓΝ[1]) quae errori lapicidae attribuenda videantur, vocem Λοχαγοῦ huc inserere vult, id quod duplici causa confirmatur, cum et litterarum numerus huius nominis certissime punctorum numero (7) respondeat et mutilatum illud Λ ad A compleatur, id quod per se perspicuum est.

Ceterum Agetae stemma a Bergkio tribus membris recte adumbratum est, secundum quem eius filius est Lochagus praetor anni 179/78 (W.-F. 252) qui anno 178 quoque (W.-F. 459)[2]) hieromnemonis locum tenens exsistit et βεβαιωτῆρος anno 173 in manumissionis decreto (W.-F. 191), patronymico utroque loco adiecto. Eius filius Ἀγήτας ille ἄρχων ἐν Καλλιπόλει est anno 167 (W.-F. 100), eiusdemque nepos, ut quartum membrum stemmati addamus, Λοχαγὸς Ἀγήτα Καλλιπολίτας, qui exstat in manumissionis decreto Anecd. Delphic. 21 in sexto Delphorum sacerdotio. Hic ordo sine lacuna constituendus est.

De Lochago praetore apud Polybium (XXVII 15. 14) praeterea scriptum videmus, quo loco de civilibus Aetoliae seditionibus et perturbationibus agitur post Aetoliam anno 189 a Romanis oppressam magis magisque crescentibus. Dicit Polybius τοὺς περὶ Ἱππόλοχον καὶ Νίκανδρον καὶ Λοχαγὸν . . . . ἀναγομένους εἰς τὴν Ῥώμην ἀπὸ τῆς ἱππομαχίας[3]) ἀλόγως a Romanis accusatos quod cum Perseo Macedonum rege clam fecissent[4]).

Lochagi nomen adiecto ethnico ‘Καλλιπολίτας’ invenimus in inscriptione Phocensi a Mondry Beaudouinio in Bullet. d. c. hell. V. 1881 p. 137 sqq. publici iuris facta. Decretum est de resolvendis pecuniis quas Phocensium foedus a Drymaea

---

1) cf. Duboisii exemplar — ex Lebasio captum — p. 217.

2) W.-F. 459 = Bull. VII. 6. (versu 12: Αἰνιάνων Λοχαγῶι etc.)

3) apud Sycurium commissae, ubi primi quinque Aetolorum duces salutem fuga petivisse a Romanis dicebantur.

4) de quibus rebus cf. ea quae de Nicandro infra diximus.

urbe mutuatum erat, partim valde mutilatum neque intellectum. Inter eos qui τὰν ὁμολογίαν φυλάσσοντι in Columnae I versu 12 Λοχαγὸς Καλλιπολίτας reperitur. Tempus huius decreti e Phocensium praetorum in textu nominatorum aliarumque personarum aliunde nobis notarum temporibus in annos 170—160 a Chr. n. recte constituit Beaudouinius. Brevi igitur ante Lochagum Romam abductum anno 170/69 inscriptionem incisam esse aut Lochagum brevi post Roma dimissum esse statuendum est, id quod minus veri simile videbitur considerantibus nobis, quid Nicander Romae passus sit.

Agelaus Naupact us.

In annum 217/16 concilium Aetolicum Agelaum Naupactium praetorem fecit — Polyb. V 107. 5 — virum et rei publicae administrandae et rerum bellicarum peritissimum, qui virtutum exempla iam apud cives suos ediderat. Iam Aristone illo praetore Agelaus rem bene gesserat tum, cum Messeniis Philippo rege concedente in Achaicum foedus acceptis Aetoli quoque socios belli futuri sibi conciliare cogebantur, quid contra se Philippus et Achaei molirentur deliberantes. Ipso hoc tempore Demetrius Pharius et Scerdilaedas Illyrius piratarum principes cum nonaginta navibus profecti Pylum appulsi erant. Frustra urbem adortus Demetrius abiit, ut Cycladas insulas aggrederetur et diriperet, Scerdilaedas primo domum re infecta rediturus Amynae Athamanum regis cognati consilio commotus Naupactum venit, ut cum Aetolis se coniungeret. Ab Aetolorum parte cum eo agebatur per Agelaum Naupactium, Polyb. IV. 16. 10 Σκερδιλαΐδας . . . ποιησάμενος δὲ συνθήκας πρὸς Αἰτωλοὺς δι' Ἀγελάου περὶ τοῦ μερισμοῦ τῶν λαφύρων . . Postquam convenit inter eos quo modo praeda facta inter utramque partem dividenda esset, id quod et Aetoli et Illyrii piratae gravissimum putabant, foedus pepigerunt. his condicionibus statuendis hominem elegisse Aetolos, cuius calliditas et prudentia astutiae Illyriorum par esset, perspicuum videtur. Confirmaverunt foedus ictum praeter Agelaum Dorimachus et Scopas, de quibus supra diximus. His factis statim Illyrii cum Aetolis coniuncti in Achaiam invaserunt; sed Aetolis non

servantibus ea quae Illyriis promiserant, foedus paullo post resolutum est.

Dorimacho praetore anno 219/18 Agelaum rem bellicam gerentem reperimus, quem praetor cum Scopa cuniunctum cum D Cretensibus auxilio misit Eleis — Polyb. V 3, 1 — antiquissimis Aetolorum sociis qui a Philippo oppressi auxilium ab eo petiverant. — Sed longe gravissimum quod perfecit Agelaus, in proximum annum 218 cadit: pax Naupacti confecta (V. 104). Thebis Phthioticis a Philippo captis utramque partem de pace facienda Naupacti egisse, supra iam admonuimus. Tum ab Aetolorum parte Agelaus orationem habuit eam, quam ipse Polybius foederis Aetolici adversarius dignam haberet, quam posteris traderet. Profecto est opus optime excogitatum tamque politum, cuius summa axiomata simpliciter distincteque expressa audientes certe moverint[1]). Dixit Agelaus praecipue dedecere Graecos bella inter sese gerere neque tum omnino tempus aptum esse ad tales res, cum in occidente bellum ingens inter Romanos et Poenos exarsisset. manifestum omnibus esse res prudenter perspicientibus, qui hoc bello vicisset, statim oculos in Graeciam conversurum esse. qua de causa Macedonum regis esse discordiis Graecorum sublatis Graeciae defensorem Graecos protegere. si ipsi inter se consentirent, fore ut hostes quoque exteri ab impetu, quem haberent in animo, desisterent. Philippus, si satis virium se habere putaret, resque ipsae poscere viderentur, particeps belli occidentalis fieret suamque rem, quam posset, gereret. Ante omnia tum intestinas discordias esse reponendas et reiciendas, ut orientis gentes pacem sibi conservarent, ut semper solis ipsis, non aliis de sua salute imperare et iudicare liceret.

Hanc orationem omnino a Polybio fictam putandam esse, inde collegerunt viri docti, quod posterorum temporum facta nimis accurate verbis ab Agelao dictis responderent, ut vaticinia quasi ex eventu viderentur. Sed cur non homo prudens tantum prospicere potuerit non intelligitur, aut quid habuerit

---

[1]) cf. Brandstäter, pag. 250/51 et pag. 383.

Polybius qui ipse dicit aliorum orationes tum habitas ut indignas qua memoriae traderentur se omissurum esse, quod ipsi Aetolo tam prudentem orationem — a se fictam — attribueret? quod Justinus, ne id silentio praetereamus, (29. 1) simillima verba tribuit Philippo quem orationis lumina a Polybio solum adumbrata aut signata longius ornantem et augentem inducit, eo minus grave videbitur, quo longior via ab Justino fert ad Pompeium Trogum, ad huius fontem, ad Polybium ipsum, et propterea praecipue, quod Pompei Trogi magnum intererat Philippum omnibus locis laudare et adornare atque omnino ad rhetorica orationis ornamenta luminaque inclinabat[1]). Sed utcunque res se habet[2]), oratio audientes, ut voluit, movit et Philippi animum in alias spes magnas aliaque consilia vertit et, quod maxime Aetolorum referebat, cogitationes eius a bello Aetolico avertit. Itaque pax ea condicione facta est, ut teneret, quod quisque tum haberet. quo de statu Polybium nihil amplius nuntiare, valde dolendum est. Tum Aetolos post haec facta ad Agelaum praetoris munus in annum insequentem 217/16 detulisse, prorsus consentaneum est. sed paullo post Aetolica quoque inconstantia et mobilitas animorum manifestissime apparebat eo, quod pax nuper ab iis optata displicebat eis, quod rapinas et bellorum turbationes petebant et maledicebant Agelao, quod non cum uno, sed cum omnibus hostibus pacem fecisset. unde tum agerent et ferrent? Sed Agelaus non is erat, quem talibus maledictis turbarent. patienter reprehensiones stultas passus impetum civium fortissime coercebat et invitos in quiete et pace remanere coegit — παρὰ φύσιν καρτερεῖν Polyb. V 107. 7.

Alter Agelaus Naupactius apud W.-F. 223 et Agelaus sine ethnico nomine apud W.-F. 124 exstat. in n. 223 Delphorum archon est Κλεόδαμος Μαντία, in n. 124 Λαϊάδας. Laiadas autem munere functum esse anno 170/69 constat[3])

---

[1]) cf. Teuffel, litter. Rom. histor. ed. Schwabe s. v. Justinus.

[2]) cf. Mommseni de hac oratione verba in Röm. Gesch. 4 I p. 631/32.

[3]) cf. tabulam Delphicorum archontum ab Aug. Mommsenio constitutam.

et Cleodamum eum subsecutum esse anno 169/68. quae cum ita sint, Agelaum praetorem fuisse anno 170/69 statuamus, ita ut decem praeturae menses in Laiadae archontatum, duo in Cleodami archontatum cadant. Quae de temporibus hoc loco Bergkius et Duboisius dixerunt, falsa et reicienda sunt. Quod praeterea Duboisius alterum hunc Agelaum prioris notioris Agelai filium fuisse dicit, iterum errare mihi videtur, nam quadraginta illi et septem anni inter duos Agelaos interpositi iam per se nepotem indicant, praeterea filium secundum patris nomen appellatum esse, si non inauditum (cf. Πρόανδρος Προάνδρου Φολάς), tamen tam insolitum apud Graecos est, ut sine ullo testimonio talem coniecturam accipere vix nobis liceat. Fortasse Duboisii verba quae pag. 200 in fine leguntur, in errorem non emendatum reducenda sunt, ita ut pro 'celui — ci sans doute le fils' legendum sit 'le petit — fils'?

Apud W.-F. n. 6 Agelaus quidam hieromnemonis vice fungitur (anno 269?), cuius nepotem nostrum Agelaum I (anno 217/16) esse oportet.

'Αγέλαος quidam Καλλιπολίτας βεβαιωτήρ apud W.-F. n. 322 id est anno 173 invenitur. qui utrum nostrae familiae cognatus fuerit necne, quamquam pro certo affirmari non postest, tamen veri simile est.

Pyrrhias.

Proximus, quem certa temporum ratione circumscribere possumus, praetor est Pyrrhias. Eum Livium (27. 30. 1) secuti in anno 209/8 ponemus. Primum nobis occurit anno 219/18, quo ab Aetolis missus in Eleorum fines copiis praeerat — Polyb. V. 30. 2 — MCCC Aetolis militibus, mercennariis Eleorum, M Eleis peditibus, CC equitibus i. e. tribus circiter milibus armatorum. adversarius ei erat Eperatus Achaeorum praetor rerum bellicarum imperitissimus, cuius apud excercitum auctoritas nihil valebat. quod cum Pyrrhias intellexisset, audacter incursionibus in Achaeorum fines factis Patraeorum Pharaeorum Dymaeorum agros vastavit, i. e. oras Achaeorum ad Elidem vergentes maritimas. Postremo apud Panachaicum montem castris positis inde agros ad Rhium versus et Aegium populatus est. Cum nequaquam Eperatus, ne tales res fierent,

impedire posset, accidit, ut exercitus e mercennariis praecipue compositus dissolveretur et discederet paulatim, donec finis praeturae appropinquavit et Aratus Achaeorum, Agetas Aetolorum praeturam accepit. Tum Pyrrhias qui in Eleorum imperio remanserat cum Lycurgo Spartiata qui, postquam aliquamdin exsul patria in Aetolia vixit, domum redibat de expeditione in Messeniam anno 217 facienda communicavit. Tempore quo convenerat uterque progressus est et statim Arato auxilio veniente Calamae Messeniorum oppidum in Lycurgi postestatem redactae sunt, qui ut cum Aetolis a Pyrrhia ductis exercitum coniungeret, sine mora progressus est. Sed infirmior erat copiarum numero Pyrrhias quem iam Cyparissei in Messenia ora ad septentrionem vergente habitantes retinuerant, quam ut aliquid proficere posset: domum reversus Lycurgum quoque infecta re redire coegit. Quae res tantopere moverunt Eleorum animos, ut — δυσαρεστούμενοι τῷ Πυῤῥίᾳ Polyb. V 94. 2 — dimisso Pyrrhia ex Aetolicorum imperatorum numero ad se vocarent Euripidem; quo duce non plus sese profecturos esse paullo post intellegebant.

Anno 209 Aetolorum praeturam accepit Pyrrhias. quamquam enim in eundem annum gentis concilium praetorem creaverat Attalum Pergamenorum regem, ex Aetolis tamen στρατηγός qui re vera munus administraret, faciendus erat, honore solo sociorum regi attributo, de qua re cfd. Antiochus Syriae rex postea in Aetolia στρατηγὸς αὐτοκράτωρ i. e. dictator appellatus. Apud Lamiam Thessaliae urbem acie a Pyrrhia, praeter Aetolos non solum per Attalicas copias, sed etiam per M milites classis Romanae a P. Sulpicio Galba missos aucto, instructa, Philippus bis eo loco agressus hostes devicit et M militibus fere interfectis Phalara se recepit (Liv. 27. 30. 1—3). ceterum in altera quoque huius anni parte ubique Philippus aliquantum profecit.

Anno 200 Pyrrhias princeps legationis[1]) a civibus Heracleam missus est, ut cum Philippo Attalo Romanis colloque-

---

[1]) Liv. 31. 46. 2 et Weissenbornii not. saepissime alius ac στρατηγός ipse cum adversariis colloquitur.

retur. ne tum quidem illi res prospere cessit. Discordiis cum Attalo qui M milites, per quos Aetolos se iuvaturum esse promiserat, non dederat, minime sublatis e medio, Aetoli a Romanis vanis magis promissis quam vero auxilio instructi et sublevati domum missi sunt. — Eodem anno Pyrrhiam Aetolum Olympia vicisse Ensebius in chronicorum lib. I pag. 209 (ed. A. Schoene: ol. CXLV Pyrrhias Etolius in stadio = ἑκατοστὴ μέ. Πυῤῥίας Αἰτωλὸς στάδιον) scribit. Eundem esse hunc ac nostrum praetorem quod negemus non habemus.

[Polemarchus Arsinoensis.]

Anno 205, vel inter annos 209 et 200 Polemarchum quendam Arsinoensem praetura functum esse Bergkius affirmat. quae coniectura iis quas adhibet auctor causis defendi prorsus nequit et ad libidinem quandam Bergkii in tractanda ea inscriptione reducenda est, quae a Stephanio (Reisen durch Nordgriechenland) pag. 40 tradita exordium capiat ab his verbis στραταγέοντος τῶν Αἰτωλῶν . . . . Ἀρσινοέος. Legitur haec, ut Lebasii n. 1143 exemplar repetamus, hunc in modum.

ΣΤΡΑΤΑΓΕΟΝΤΟΣΤΩΝΑΙΤΩΛΩΝΙ . . . . .
ΑΡΣΙΝΟΕΟΣΑΓΑΘΑΙΤΥΧΑΙΑΠ—ΟΙ . . . . .
ΜΗΝΟΣΧΡΥΤΤΑΙ . .

Neglecta ea re, quod Ἀρσινοέος illud minime certum est, sed in Τριχονέος (?) fortasse mutandum, tam extensi vocabuli ut Πολέμαρχος supplendi primus versus spatium non praebet. Completis enim versibus secundo et tertio, cum in altero ex ΠΟΛ faciamus πόλ[ις τῶν], in altero e Χρυτται-faciamus Χρυτταί[ου], litterarum medium numerum singulorum versuum inter 29 et 30 versari perspicuum est. Aliquanto igitur primus versus pro ceteris promineat, addito in eius fine vocabulo Πολεμάρχου. ceterum nihil hanc coniecturam adiuvat nisi solus Polybii locus XVII 10. 9, quo inter legatos ab Aetolis ad Romanos missos numeratur Πολέμαρχος quidam Ἀρσινοεύς. cum alibi nusquam exsistant neque in litteris neque in inscriptionibus Arsinoenses quorum ratio hic habenda sit, quin coniecturis haec lacuna compleri possit, valde ego dubito. Contra — omissa hac inscriptione — Polemarchum quendam Arsinoensem, hoc

quoque temporis fortasse spatio, praetorem Aetolorum fuisse quod a principio negemus, nequaquam habemus.

Damocritus Calydonius.

In anno 200/199 Damocritus Calydonius praetor ponendus est cf. Liv. 31, 32. 1 et 40. 9. in concilio illo Naupacti eodem anno habito primum nobis occurrit — Liv. 31. 29. 1 sqq. — quo cum Macedonibus et Romanorum legato L. Furio Purpureone agebatur. Priores Macedones verba faciebant Aetolorum foedus et societatem conservaturi, Romanorum vim ac superbiam reprehendentes, in Philippum ut defensorem Graecis natura datum animos eorum vertentes. Tum Atheniensium legati, quorum in urbem patriam Philippus crudeliter consuluerat, ut foedus cum Romanis quam celerrime facerent suadebant, quod legatus quoque Romanus L. Furius accipiendum iis commendavit. Tyrannum Graecorum, non defensorem esse Macedonem, a quo Graecos nisi auxilium aut amicitia Romanorum nihil defendere posset. irritam igitur esse pacem seorsim ab Aetolis cum Philippo pactam stultamque, quam celerrimo ad Romanam societatem reditu e medio tollerent. Iam ad Romanorum partes audientium animi inclinare coeperant, cum Damocritus praetor dicendi potestate data admonuit eos, ut exspectarent tempora futura. nondum advenisse tempus decernendi et diiudicandi et 'cum legibus cautum esset ne de pace belloque nisi in Panaetolico et Pylaico[1]) concilio ageretur, decernerent extemplo, ut praetor sine fraude, cum de bello et pace agere velit, advocet concilium, et quod tum referatur decernaturque, ut perinde ius ratumque sit ac si Panaetolico aut Pylaico concilio actum esset'. quam legem utrum Damocritus Philippo gratum faciens Macedonico fortasse auro corruptus tulerit — 'pecunia, ut fama est, ab rege accepta' — necne, Livius in incerto relinquit

[1]) de conc. Pylaico apud Livium adducto cf. Weissenbornii adnotationem ad XXXI. 32. 3. Nissenius contra Polybium scripsisse putat ἐν τῷ Παναιτωλικῷ καὶ τῇ τῶν Θερμικῶν συνόδῳ. cf. Busolt, griech. Staatsaltertümer pag. 371.

(31, 32). Dimissi igitur legati sunt sine responso atque Aetolis data est facultas eum sibi conciliandi quem futuro tempore armorum diiudicatio victorem redditura esset. Paullo post Philippo apud Octolophum victo — Liv. 31. 40. 9 — ipse Damocritus legem tulit, ut cum Romanis cives pacem foedusque pangerent, cum per Illyrios Dardanos Romanos una regnum Macedonicum opprimeretur. Aetolorum copiis cum Amynandri Athamanum regis coniunctis Cercinium adortus brevi cepit. Inde Aetoli Perrhaeborum in fines profecti satisque populati Cyretias expugnaverunt. Tum in Thessaliam progressi cum, locupletissima praeda occupati, de hostibus nihil cogitabant, Philippus subito appropinquavit. trepidaverunt Damocritus ceterique duces — Liv. 31. 41. 11 — celerrimeque frustra hostem repellere conati, in fugam se verterunt. in castris quamquam rursus aciem restituerant, inde quoque a Philippo fugati sunt. Huc accessit, quod Scopas — Liv. 31. 43. 4 sqq. — iis temporibus sex milia peditum et D equites, Aetolicae robur iuventutis in Aegyptum abduxit. Solus Damocritus obstitit et effecit, ut de futuris bellis et de paucitate hominum admonitus, paucos quidem in patria relinqueret. quod addit Livius, Damocritum id fecisse, quia non satis pecuniae a Scopa accepisset, — incertum cura gentis, an ut adversaretur Scopae, parum donis cultus — nescimus quo iure talia Livius coniecerit.

Huius in praeturae tempora cadit inscriptio Bull. d. c. hell. V. p. 408, Mantia Delphorum archonte, Eucle Xenoneque sacerdotibus Apollinis Pythii incisa, de qua videndum est apud Haussoullierum l. l.

Anno 198 cum aliis sex civibus Damocritus Romam legatus missus est — Polyb. XVIII 10. 9 —, cum colloquio inter T. Quinctium Flamininum et Philippum habito nihil proficere viderentur neque contenti essent Aetoli iis quae adepti erant. In senatu Philippum accusaverunt et petiverunt a patribus, ut Philippum cogerent oppida ab illo accupata, imprimis Chalcidem, Demetriadem, Corinthum sibi reddere, aut, nisi id faceret, ut bellum contra Macedones redintegrarent omnibus viribus atque opibus.

Anno 193 Damocritus iterum — Liv. 35. 12. 6 — rebus omnino commutatis legatus erat. nam contra Romanos tum Aetolia fortissime repugnabat. postquam frustra aliquantum temporis adventurum esse Antiochum Aetoli speraverunt, praetor concilio gentis Naupactum convocato legem tulit legationum ad Philippum, Antiochum, Nabidem, Lacedaemoniorum tyrannum, mittendarum, quorum auxilio bellum contra Romanos incenderent. Ad Nabidem igitur conciliandum legatus est Damocritus. Hoc officium homini in publicis rebus versatissimo mandandum erat, qui Nabidem moveret, ut talia faceret, qualia omnino a Romanorum amicitia eum removerent et ad Antiochi partes pellerent. Quod ut fieret et avaritia et imperitandi studium, omnium huius tyranni factorum radices, incitanda erant. quae cum ita essent, Damocritus primo eum maritimarum urbium ab adversariis occupatarum admonuit, quibus perditis muris Lacedaemonis inclusus Achaeis invisissimis hostibus totam Peloponnesum prodidisset. tum adesse tempus, cum nemo Romanus in Peloponneso adesset, celeriter opprimendorum Achaeorum, neque Romam, simulatque Gythium aliaque oppida maritima sua manu teneret, legiones contra illum mittere esse ausuram. Nabis cum valde concilia placerent, pecunia corruptis urbium principibus aut necatis urbes in potestatem suam redegit et Achaeis cum apud eum accusarent Lacedaemonios, quod pacem a Romanis institutam laesissent, oppugnando Gythio respondit. Tum legati ab Achaeis Romam missi sunt, qui apud senatum de Nabide quererentur atque ut multaretur a patribus peterent.

Insequenti anno, 193/92, iterum Damocritus praeturam administravit. Probant id inscriptiones apud W.-F. n. 304 et 319, verbis τὸ δεύτερον (sc. στραταγέοντος) signatae et Echephylo archonte mense Poetropio incisae; similiter inscriptiones Bull. d. c. h. V n. 26 et 27, eodem Echephylo archonte, altera mense Poetropio, altera Boathoo mense incisa.

Philopoemene tum cum Achaeis contra Nabidem bellante ad socios Romani legatos miserunt, qui, si possent, Aetolos Romanis iterum reconciliarent, sin minus, contra Aetolos socios sibi compararent. postquam cum Magnetes tum Eurylochus

Magnetarchus animis ad Aetolorum amicitiam et ad bellum inclinantibus difficultates Romanis paraverunt, T. Quinctius Flamininus Athenienses adiit, ut iis auctoribus usus Aetolos Romanis reconciliaret. sed quamquam in gentis concilio propter antiquas amicitias proximis post Antiochi legatos dicere licuit Atheniensibus, propterea nihil profecerunt, quod multitudo praeferre sese Antiochi amicitiam propter vanas illas legatorum iactationes vociferabatur. qua in re ne quid omitteret, ipse T. Quinctius in Aetoliam se contulit atque amicissime gravissimeque gentem admonuit, ut quidquid a Romanis postularent, per legationes ad senatum referrent neve bellum periculosum sibi pararent. sed frustra laboravit: constituit concilium arbitrum inter Aetoliam et Romam invitare Antiochum i. e. hostes contra Romanos se gerere. his proclamatis cum Flamininus Damocritum praetorem id ipsum decretum posceret, offensionem Romanorum ille superbe addidit: se eo temporis momento non vacare, sed brevi libenter responsurum esse, cum in Tiberis ripis prope Romam urbem Aetoli castra posuissent. tantus furor, addit Livius, illo tempore gentem Aetolorum, tantus magistratus eorum cepit, 35, 33. 9—11. Statim post Romani discessum hostiliter Aetoli se gerebant, Demetriadem, Chalcidem, Lacedaemonem aggressi. Eis praecipue qui Lacedaemonem ad interimendum Nabidem iter faciebant, inter quos triginta equites ex iuventute electi erant, Damocritus in arcano gentis concilio accurate praecepit, quid facerent.[1]) ne crederent, se ad bellum contra Achaeos gerendum aut ad rem ullam mitti, quam sua quisque opinione excogitare posset. si subito aut inopinato res Alexamenum ducem ad aliquid perficiendum duceret, quamvis temerarium stultum audax illis videretur, tamen semper ad oboedienter exsequendum prompti esse deberent et id persuasum haberent, ad nihil nisi id unum se domo demissos esse.

---

[1]) cf. Pausan. VIII 50. μετὰ δὲ ταῦτα Νάβις μὲν εἰς εἰρημένον χρόνον σπονδὰς παρὰ Ῥωμαίων εὑράμενος τελευτᾷ πρὶν ἢ οἱ τοῦ πολέμου τὰς ἀνοχὰς ἐξήκειν ὑπὸ ἀνδρὸς Καλυδωνίου, κατὰ μὲν δὴ συμμαχίας πρόφασιν ἥκοντος, πολεμίου δὲ τῷ ἔργῳ καὶ ἐπ᾽ αὐτὸ ἐσταλμένου τοῦτο ὑπὸ τῶν Αἰτωλῶν. —

Anno 191 in Heracleae oppugnatione per Acilium Glabrionem peracta Damocritum reperimus. Liv. 36. 22. 4. consul simulatque hoc opus suscipiendum curavit, quattuor simul locis urbem adortus est. sed fortissime Aetoli sese defendebant, diem noctemque in pugnando muniendoque perseverantes. denique tamen urbe per impetum nocturnum insidiose a consule praeparatum capta, pars Aetolorum in arcem se contulerunt, sed postero iam die in Romanorum fidem se dederunt, et quod nulla auxilia ibi eis suppetebant, et quod nimis multae mulieres et liberi inter armatos viros versabantur. quod inter captivos Damocritus ille erat, qui quam impavide et audacter Flaminino respondisset, omnes non ignorabant — Liv. 36, 24 — maximo gaudio Romanos affecit. cum XLII principibus Aetolorum ille, inter quos frater quoque eius erat, a duabus cohortibus Romam ductus in Lautumias missus est — Liv. 37, 3 — quo postea in triumpho M. Acilii Glabrionis celebrando uterentur. Sed triumphi die, quo XXXVI Aetolorum principes — manum sibi ipsi, opinor, intulerant ceteri sex aut in lautumiis mortui erant — et Syriorum secum ducebant triumphantes, desiderabatur Damocritus. qui ante nonnullos dies cum per noctis silentium e carcere erupisset, postquam per insidiatores, ne effugeret, impediri vidit, suo gladio in Tiberis[1]) ripa perfossus est, priusquam a satellitibus caperetur. non igitur ferocem Aetolum defecit fortitudo moriendi, qua dedecus effugeret, quae in Perseo Macedonum rege haud ita multo post desiderabatur.

Anno 189 post mortem Damocriti Damis eum quoque Romae in eorum numero nominat, qui semper contra Romanos gentes incitassent et sollicitassent — Liv. 38. 10. 6. Polyb. XXI. 31. 13.

Chalepos Naupactius.

In annum insequentem 199/98 Chalepi praetura statuenda videtur esse, nisi eam in anno 201/200, ut iam in Ageta tractando admonuimus, ponere malis. praeturam eius cadere in

[1]) quod at Tiberis ripam attinet, Brandstaeterus pag. 465 eam et Polybium et Livium induxisse putat, ut cum Damocriti iactatione Tiberis ripam proferente mortem eius ingeniose sciteque componerent.

primum Delphorum sacerdotium (Euclis et Xenonis) utraque inscriptio ostendit, quae Chalepi nomen praebet, apud W.-F. n. 407, archonte Hybria mense Amalio et in Bull. d. c. h. V, 16, archonte Hybria, mense Heraeo tradita. νεοκόρος quoque Κλέων 'Ορέστα utriusque decreti idem est, id quod iam Haussoullierus admonet, quamquam id nihil refert ad tempora inscriptionum definienda, quia in totius vitae spatium νεοκόρος, ut Apollinis sacerdotes, Delphis creabatur.

Naupacti, si titulis credimus, natus erat Chalepus, quem Polybius quoque compluribus locis profert.

Anno 191 post Heracleam captam a praetore Aetolorum tres principes gentis missi sunt, qui cum Acilio Glabrione consule sive de indutiis sive de pace agerent. Nomina eorum apud Polybium 20. 9. 2 leguntur: 'Αρχέδαμος, Παντaλέων, Χάλησος [1]). Iam Bergkius hoc loco Χαλεπός scribendum esse coniecit, speciosa sane coniectura, praesertim cum alibi nusquam neque in litteris neque in titulis reperiamus Χάλησον quendam. Eam legationem consul verbis accepit male et breviter se tempus colloquendi propter praedam Heracleensem dividendam deficere dixit, sed indutias decem dierum illis concedere velle atque L. Valerium Flaccum cum illis missurum esse, quocum Hypatae de ceteris condicionibus agere possent, scilicet, ut brevi post intellexerunt Aetoli, de deditione in Romanorum fidem.

Anno 189 iterum Chalepus legatus erat, Polyb. XXI, 25. 11, cum Nicandro praetore rebus quibusdam bene gestis nuntius afferretur gravissimus ex Asia, Antiochum devictum et debellatum esse a Romano populo. Quo cum accederet, quod Roma reversus Aetolicus legatus Damoteles [2]) nuntiabat, Fulvium Nobiliorem iam cum exercitu ad continuandum Aetolicum bellum in Graeciam transgredi, tanta erat animorum

---

[1]) cf. Polyb. XXI. 25. 11. Κάλλιππον 'Αμβρακιώτην, quo loco quid legendum sit, non constat hominesque docti Χαλεπόν legendum proposuerunt. Sed Χαλεπόν esse Ναυπάκτιον supra ex inscriptionibus demonstravimus.

[2]) Δαμοτέλης quidam, huius avus ut videtur, citatur apud W.-F. 455 ἄρχοντος Ἥρυος, hieromnemonis vicem administrans. (= Bull. d. c. h. VII. 3. 2.) cf. Δαμοτέλης Φυσκεύς, βουλάρχ. τοῦ Λοκρικοῦ τέλεος Bull. d. c. h. V, 38 anno 189/8.

perturbatio, ut rursus ad colloquia et preces se recipere constituerent, Rhodumque et Athenas de reconcilianda Romanorum misericordia adirent. Quod ut perficerent, quinque legatos miserunt, Alexandrum Isium, Phaeneam, Alypum, Lycopum[1]), Chalepum. quae legatio non eo advenit, quo missa erat, sed a Sibyrto Petraei filio Epirota hoste insidiis occupata Charadrum ducta est, ubi a captivis primo petiverunt, ut quinque talenta quisque, deinde tria pro liberatione solverent, quae praeter Alexandrum Isium[2]) ab omnibus solvebantur. Domum reversis legatis illorum loco Damotelem Aetoli legaverunt. sed ne is quidem Romam pervenit, nam nuntio allato, Fulvium Nobiliorem iam ad Ambraciam appropinquare, apud Leucadem infecta re revertit.

Phaeneas.

Anno 198/97 primum rei publicae Aetolicae locum testibus Polybio et Livio obtinet Phaeneas. Primum ei occurrimus tum cum inter Romanos sociosque atque Philippum foederatosque apud Nicaeam prope sinum Maliacum de pace agebatur. Flaminino cum comitibus, inter quos Phaeneas erat, in ipsa ripa stante — Liv. 32, 32. Polyb. XVIII. 1—8. Appian. Mac. 8. Zonar. 9. 16. Justin. 30. 3 — Philippus de nave locutus est. E quo cum T. Quinctius quaereret, cur propius accedere dubitaret, se neminem praeter deos immortales timere respondit, sed omnibus paene eorum se diffidere, qui in ripa starent, praecipue Aetolis. Quae respondente Romano, periculum facultatemque illo loco omnibus paria esse, errare illum dixit Macedonum rex: permultos enim esse Aetolos, qui Phaenea forte occiso praeturam accipere possent, Macedones contra

---

1) Λύκωπος . . . . Ἀπολλωνιεύς προστάτας citatur apud Collitzium GDI. n. 1415 atque hieromnemonis vicem administrans, ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς Δίωνος Anecd. 41. Λύκωπος Λύκου Ἀμφισσεύς est βεβαιωτήρ in W.-F. 247 (sacerd. V. ἄ. Φιλοκράτεος) et manumissor in W.-F. 248 (sacerd. V. ἄρχοντος Φιλοκράτεος). cf. Λύκωπος Λύκου Ἀμφισσεύς manumissor decreti Bull. d. c. h. V, 40. (eiusdem filius Λύκος, filia Ἀρμόλα) ἄρχοντος Δαμοσθένεος sacerd. VII.

2) cf. adnotationem nostram ad Alexandrum Calydonium.

non tam facile inventuros esse, ad quem regnum deferrent. His dictis cum T. Quinctius condiciones Romanorum pronuntiavisset sociisque quoque dicendi facultas data esset, Phaeneas praecipue a Philippo postulavit, ut e Graecia discederet, omnibus urbibus, quae in foedere Aetolorum fuissent, redditis. ad haec verba Alexander Isius pauca addidit quibus Philippi morem bellandi et consilia depingeret. quae reiecit rex, saepius talia facere reges debere locutus, qualia ipsis sibi displicerent. Tum Phaenea orationem interrumpente verbis, talia vanas et inanes esse nugas, nam aut vincendum cuiquam esse, aut victum in victoris fidem se dedendum, Philippus in valetudinem oculorum Phaeneae iocatus — Φαινέας ἠλαττωμένος τοῖς ὄμμασι ἐπὶ πλεῖον — respondit, illa caeco etiam perspicua esse. Itaque illo die colloquia ad finem non pervenerunt, quamvis Phaeneas plura contra Macedonem dicere vellet. Petiit Philippus ab omnibus ut postulata litteris mandarent sibique traderent scripta, quae secum accuratius deliberare posset. Id tandem convenit inter eos, ut utraque pars legatos Romam mitteret. sed ne eo quidem consilio ad pacem perventum est, immo inimicitiae renovatae sunt et Philippus postremo apud Cynoscephalas a Flaminino victus est, quod ad proelium Phaeneam DC pedites Aetolicos et CCCC equites adduxisse Livius affirmat 33, 39. sed in peditum numero scribendo errasse videtur Livius, ut deliberantibus nobis quid Plutarchus in vit. Flamin. cap. 7 narraverit — Αἰτωλοὶ πεζοὺς ἑξακισχιλίους καὶ ἱππεῖς τετρακοσίους παρεῖχον — hic numerus in Livii quoque centextu inserendus sit. profecto nimis pauci fuissent M milites. Iis quoque colloquiis quae post haec facta agebantur, Phaeneas Aetolique, qui aliquantum profecerant ad victoriam reportandam, intererant. quamquam inde ab ipso pugnandi die iam dissensiones inter Aetolos et Romanos versabantur, Romanis Aetolos nimiis laudibus efferre ea quae ipsi ad victoriam capiendam fecissent putantibus, Aetolis Romanos honoribus ipsis pro factis debitis obtrectare opinantibus. Itaque postquam ad Tempe angustias ad solvendas discordias convenerunt — Liv. 33, 11—13; Polyb.

XVIII. 33. sqq. — Alexander[1]) Aetolus (?) unum esse remedium professus est, quo Philippus ut in quiete remaneret cogi posset: e Macedonia ipsa patria fugandum eum et expellendum esse. Quod cum T. Quinctius repudiasset reprehensionibus Aetolorum additis Phaeneas amici verba persequi conatus superbe et aspere a T. Quinctio tacere iussus est — παῦσαι, ληρῶν. 'desistite, inquit, tumultuari, ubi consultandum est. non iis condicionibus rex inligabitur, ut movere bellum possit'. Postero die cum postulasset, ut rex Larissam Cremasten, Pharsalum, Thebas Phthioticas redderet, respondit Philippus audacter et superbe, caperent sibi. Flamininum tum cum rege facientem foederis ab Aetolis cum Romanis facti admonuit et 'pro societate belli, quae ante bellum habuissent, restitui Aetolis aequum censebat et ita in foedere primo cautum esse.' Respondente Romano, solvisse illud foedus Aetolos, qui relictis Romanis pacem cum Philippo fecissent, irati Aetoli domum reverterunt, rursus bellum contra Romanos paraturi.

Hanc in praeturam, de qua diximus, inscriptiones apud W.-F. n. 408 et 409, archonte Orthaeo, mense Poetropio et Amalio, atque n. 335 et 336, archonte Emmenida, mense Bucatio incisae, cadunt.

Iterum praetura fungitur Phaeneas anno 192/91 ut demonstrant tituli apud W.-F. n. 324 et 333, archonte Cleodamo, mense Poetropio scripti, atque Bull. d. c. hell. V. n. 28, 29, 30, archonte Cleodamo, Poetropio et Amalio mense scripti. Subsequitur igitur Damocritum illum ferocem et superbum qui Panaetolico conventu anni 200 tam vehementer invectus erat in Flamininum. Paullo post Antiochus rex, ut promiserant Menippus et Thoas, profecto in Graeciam venit, tanto totius populi gaudio acceptus, quamvis parva auxilio secum duceret

---

1) de Appian. Mac. II p. 7 (Tauchnitz. edit.) loco Alexandrum Aetolum πρόεδρον Αἰτωλῶν proferente, August. Mommsenius l. l. verba facit. sed plane superfluum mihi videtur, copiosius de ea re disputare, cum nulla re cogamur putare, idem esse στρατηγόν ac πρόεδρον. cur non πρόεδρος 'τῆς πρεσβείας' fuisse potest, cuius facilitatem dicendi ipse Polybius laudat?

defensor Graeciae (Liv. 35, 44) vix ut praetor cum nobilibus Aetolis aditum illi in Panaetolicum parare possent. Orationem regis, qua promisit vere insequenti sese totam Graeciam armis, hominibus, equis, classibus impleturum esse, neque pericula, neque impensa impeditura esse dixit, quominus Romanorum iugo liberaret Graeos, Aetolosque Graecorum principes redderet, ingens omnium applausus subsecutus est, paullo autem post regis dicessum inter Phaeneam praetorem et Thoantem discordia exorta est, suadente Phaenea pro parvis Antiochi opibus et auxiliis ut rege pacis conciliatore erga Romanos, non belli duce uterentur: Romae omnes illo modo ad pacem inclinaturos esse armaque deposituros, contradicente Thoante, non pacem in animo habere praetorem, sed id agere, ut Antiocho longis cunctactionibus fatigato Romanis tempus belli parandi daret et victoriam compararet: nisi armorum vi nihil Antiochum confecturum esse. — Vicit Thoantis sententia, repudiato Phaeneae consilio Antiochum imperatorem appellandum censuerunt[1]) senatumque ei triginta Aetolorum addiderunt, (ἀποκλητῶν illorum ut videtur).

Anno 191 post Herocleam expugnatam Aetolis de salute paene desperantibus Phaeneas — Liv. 36, 27; Polyb. XX. 10 sqq. — tres legatos Archedamum, Pantaleontem Chalepum (Chalesum) ad M. Acilium Glabrionem victorem misit. quocum de pace agerent. Reversus cum iis Hypatam Lucius Valerius Flaccus, ut in fidem Romanorum se permitterent Aetoli — δόντες αὐτοὺς εἰς τὴν Ῥωμαίων πίστιν — postulabat. Ignorantes quid sibi vellent latina illa verba Aetoli victoribus cedere constituerunt praetoremque cum legatione ad consulem miserunt. Postulante vero illo, nequis eorum aut publice aut privatim in Asiam transiret, et socios Romanis proderent, Phaeneas non consuetudinis Graecorum id esse dixit. Iratus Glabrio catenas apportari omnesque vinciri iussit[2]) — σκύλακα σιδηροῦν ἑκάστῳ περιθεῖναι περὶ τὸν τράχηλον — ut doceret eos, quid verba illa

[1]) Liv. 35 45 cf. Appian. Syr. 12. αὐτοκράτορά τε στρατηγὸν Αἰτωλῶν Ἀντίοχον ἀποφαίνοντες.

[2]) Liv. 36, 28 cf. Weissenborn: vinciri vos iam iubebo. adferri catenas et circumsistere lictores iussit.

sibi vellent. Obstupefactis hac re legatis Phaeneas postquam intercedentibus comitibus Glabrio solvi legatorum catenas iussit, non populi iussu, sed apocletorum modo se de deditione dixisse contendit; indutias decem dierum sibi concederet ille, ut cum toto populo de ea re agere posset, nam ad decernenda ea concilio Aetolorum opus esse. Concesso hoc Phaeneas Hypatam reversus tantopere Aetolorum animos incitavit, ut cum boni nuntii ab Asia afferentur pace omnino repudiata unanimi bellum pergendum esse conclamarent ad finem. sed Naupacti expugnatione — Liv. 36, 30. Polyb. XX. 11. Plut. Flam. 15; Appian. Syr. 21 — eorum spes tantopere diminuebatur, ut nuntio allato Flamininum versari in Romanorum castris maximo gaudio afficerentur, Phaeneamque cum nobilissimis Aetolorum principibus ad illum mitterent, qui 'ad pedes provoluti' implorarent eius misericordiam. sed quamquam illo auctore consul destitit de oppugnatione indutiasque concessit, tamen legati ad senatum Romam missi patribus nimia postulantibus pacem non rettulerunt, sed bellum continuabatur.

Anno 190/89 Nicandro praetore iterum Phaeneas inter legatos erat eos, qui Romam missi a Sibyrto Epirota, ut supra iam enarravimus, intercepti pecunia sibi libertatem comparaverunt.

Anno 189 postremo cum oppugnaretur Ambracia una cum Damotele legati vice fungebatur (Liv. 38, 8) 'cum liberis mandatis missus, quod e re Aetolorum, ut in tali causa, fideque sua esse censerent, agerent', ad M. Fulvium Nobiliorem consulem. ut parceret urbi, ut sui misereret eum, ut prioris amicitiae recordaretur, ab eo petierunt. contra Romanus, ut arma deposita traderent, mille talenta solverent, pollicerentur, eosdem se amicos et hostes ac Romanos habituros esse. cum nimis graves viderentur hae condiciones, ut etiam atque etiam quid agendum esset re integra praetorem et principes consulerent, reversi Damoteles et Phaeneas opprobriis maledictisque ob cunctationem accepti et statim remissi sunt, qualemcunque pacem referre iussi. Tum Ambraciam profecti ab Acarnanibus occupati et Thyreum ducti sunt. Consulis iussu liberati C. Valerio conciliatore pacem acceperunt ea condicione, ut

Ambraciam traderent, quingenta talenta solverent, captivos transfugasque redderent. Tum Phaeneas et Nicander Romam missi sunt, ut a senatu quoque pacem nanciscerentur, id quod Rhodiensium et Atheniensium auxilio — Polyb. XXI. 30. 15 — prospere cessit.

Alexamenus Calydonius.

Anno 197/96 Phaeneam in administranda praetura subsecutus est Alexamenus[1]) Calydone, ut demonstrant inscriptiones et Pausanias (VIII. 50). natus. eius nomen invenitur in sex titulis[1]) Emmenidae archontis temporibus mensibus Heraeo, Theoxenio, Heraclio, Ilaeo incisis. non multum de eo scimus.

Participem eum fuisse consilii Brachyllae Boeoti per tres Italos tresque Aetolos interficiendi, ostendunt Polybius (XVIII. 26) et Livius (33, 28). Flamininus quoque, cuius maxime intererat, de medio tolli seditiosum illum boeotarchum, qui Philippi in exercitu copiis praefuerat, non obstabat, sed cum Zeuxippus et Pisistratus Boeoti Romanorum partes secuti de necando illo dicere auderent, αὐτὸς μὲν οὐκ ἔφη κοινωνεῖν τῆς πράξεως ταύτης, τοὺς δὲ βουλομένους πράττειν οὐ κωλύειν. καθόλου δὲ λαλεῖν αὐτοὺς ἐκέλευε περὶ τούτων Ἀλεξαμενῷ τῷ τῶν Αἰτωλῶν στρατηγῷ· τῶν δὲ περὶ τὸν Ζεύξιππον πειθαρχησάντων καὶ διαλεγομένων ταχέως ὁ προειρημένος (sc. Ἀλεξαμενός) πεισθεὶς καὶ συγκαταθέμενος τοῖς λεγομένοις τρεῖς μὲν τῶν Αἰτωλῶν συνέστησε, τρεῖς δὲ τῶν Ἰταλικῶν νεανίσκων τοὺς προσοίσοντας τὰς χεῖρας τῷ Βραχύλλῃ. (Polyb. XVIII. 43. 10—12).

Anno 193/92 Damocrito praetore Alexamenus contra Nabidem Lacedaemoniorum tyrannum rem gerere gravissimam iussus est (Liv. 35, 35—37). Cum Demetriadem Chalcidem Lacedaemonem una occupatam vellent Aetoli, Lacedaemonem nisi dolo capi non posse intellegebant, et cum ipsi ad bellum contra Achaeos Romanorum socios incipiendum incitassent tyrannum, consentaneum prorsus videbatur, auxilia Aetolica ei mitti, ipseque Nabis auxilia ab eis petierat. Itaque Alexamenus cum M peditibus et triginta equitibus ex iuven-

[1]) de scribendo nomine (Ἀλεξαμενός sive Ἀλεξομενός) cf. Bergkius in Philol. tom. 42 p. 237 not. 20 et inscriptiones W.-F. 337, 376—380.

tute electis Lacedaemonem profectus est. Admoniti erant antea inprimis equites illi, ut omnibus rebus duci obsequerentur. Praestantissime ipse Alexamenus primo partes peregit. Iam adesse in Europa Antiochum regem Nabidi dixit, et appropinquare cum ingenti exercitu multisque elefantis. parare studiosissime Aetoliam bellum, ut omnibus opibus Lacedaemoniis subveniret. illius esse, copias suas exercere et ad rem magnam perficiendam praeparae et animos acuere. nam consuetudine leviorem laborem fore. Cotidie igitur in Eurotae planitiem copias Lacedaemonias educere coeperunt, ita ut Nabis ipse cum tribus equitibus, inter quos Alexamenus erat, ante signa exercitus praeterequitare soleret, cuius in cornu dextro stabant Aetoli, in medio satellites Lacedaemonii, Alexamenus quasi imperia daret ab altero ad alterum cornu equitaret. cum tempus advenisse existimaret Nabide a sinistra parte lente appropinquante ad Aetolos celerrime vectus sese sequi iussit. nunquam patriam revisurum esse qui cunctaretur. Tum vehementissime tyrannum adortus equo perfosso ipsum humum prostravit et cum equitibus necavit, priusquam subvenire possent satellites. celerrime Aetolis in arcem profectis Lacedaemon in hostium manibus fuisset, si cauti fuissent. sed tum apparuit vetus illa innata cupiditas praedandi et rapiendi: discurrebant omnes ut agerent et ferrent, quantum possent. Alexamenus ipse inter primos in regiam Nabidis profectus diem ac noctem in scrutandis thesauris tyranni absumpsit. Interea Lacedaemonii convenerunt et dispalatis Aetolis trucidatis Alexamenum cum paucis resistentem necaverunt. Pauci mortem effugerunt et sive Tegeam sive Megalopolim pervenerunt, ubi comprehensi a magistratibus ‘sub corona venierunt.’ Quo factum est, ut tota res Alexameni avaritia et temeritate periret.

Aetatis Alexameni annos recte circumscripsit Pomtowius[1]) id monens, illum in mortis tempore vegetum virum fuisse

---

1) ad Alexameni chronologiam cfd. Pomtowii dissertatio de Fastis Delph. II (de Amphictyonum decretis) paullo abhinc in Fleckeisenii annalibus publici iuris facto (mihi auctoris benignitate in manuscripto exemplari inspicienda tradita.) pag. 543 sqq.

oportere, anno fere 235 vel 234 natum, i. e. annum circiter quadragesimum agentem. si natu maior fuisset, maiores difficultates ei illae equitum decursiones et exercitia parassent neque omnino ei Aetolorum gens illum laborem tradidisset perficiendum. Pertinet haec quaestio praecipue ad chronologiam tituli CIG. n. 1694 signati, in qua archonte Delphorum Aristagora exsistunt tres Aetolici hieromnemones Πολέμαρχος, Δάμων, Ἀλεξαμενός) ubi solus Dodwellius Anglus contra ceterorum sententiam legere vult: Ἀλέξανδρος). Huius tempus Boeckhius 'ex Polybio' olympiade 135—140 i. e. annis 240—220 a. Chr. n. circumscribit. itaque si id quod supra de Alexameno praetore diximus, stat, idem hic atque ille esse non potest. Sed erravisse videtur Boeckhius temporibus id quod minime mirum in illorum temporum cognitione Delphicarum antiquitatum. archon ille Aristagoras non in illis temporibus, sed paullo ante annum 200 ponendus videtur, et certe Alexamenus hieromnemon est praetor, de quo agimus, qui paullo fortasse ante praeturam illud munus administraverat.

Ἀλεξομενός quidam Ἀμφισσεύς servum manumittit apud W.-F. n. 179, στραταγέοντος Πανταλέωνος πρῶτον id est anno 186.

Ἀλέξων Ἀλεξαμενοῦ Οἰταῖος ἐξ Ἐ . . . . ου, quod ad Ἐρινεοῦ, non ad Ἐρωχοῦ, ut Francogallus editor vult, supplendum videtur, notat Mr. Parisius in 'Inscriptions d'Elatée p. 212 cf. Bull. de c. hell. X (1886) p. 359 sq.

Alexander Calydonius.

Duarum praeturarum Alexandri Calydonii tempora certissimis testimoniis nobis notata sunt, alterius annus 196/95 inscriptionibus apud W.-F. 310, 325, 328, 345, 346, 385, 394, 416, archontibus Orthaeo et Diodoro, tertiae annus 185/84 inscriptionibus apud W.-F. n. 285, 286, 287, 294 archonte Euclide[1]). Primae eiusdem viri praeturae tempus tam certe definiri nequit, sed eam non nimis ultra annum 200 proferendam esse manifestum est. si inter Scopae (dubiam) tertiam et

[1]) inscriptionis apud W.-F. 243 homonymus praetor nepos est huius. titulus 243 pertinet ad V. sacerdotium Delphorum ἄρχοντος Φιλοκράτεος.

Agetae alteram praeturam eam intercalamus circa annum 203/202 (cf. Thoantis tempora), annus natalis Alexandri ca. annum 235 constituendus videtur, id quod optime quadrat ad cetera tempora, de quibus modo exposuimus.

De vita eius nihil nobis notum est.

De Alexandri nomine haec iam notanda sunt: hieromnemo exstat Ἀλέξανδρος quidam Αἰτωλός ante annum 200 in inscriptionibus apud W.-F. 3, 4, 5 (de quibus cf. Pomtow, Fast. Delph. II pag. 502 sqq.), Thiersch 2 = Ross 70 ἄρχοντος Ἀμύντα, CIG. n. 1689 b ἄρχοντος Νικοδάμου, CIG. 1694 ἄρχοντος Ἀρισταγόρα (nisi forte in hac supplendum Ἀλεξαμενοῦ) paullo ante annum 200, Anecd. Delph. n. 42 ἄρχοντος Νικαΐδα, Leake n. 9 ἄρχοντος Πραόχου.

E Calydonii fortasse familia est Νικίας Ἀλεξάνδρου Καλυδώνιος Αἰνιάν anno 178 W.-F. 459 = Bull. d. c. h. ell. VII. 6, 12. Ab historicis scriptoribus citantur Alexander (sine ethnico nomine), Alexander Trichoniensis, Alexander Isius.

Primus eorum cum Dorimacho et Archidamo Pantaleontis filio intererat expeditioni illi contra Aegiram urbem susceptae, quae male cessit cuiusque in fine et Alexander et Archidamus necati sunt (Polyb. IV. 57 et 58). quod idem hic Teuffelio videtur atque Alexander Isius, error est non levis, quia Isium illum usque ad annum 189/88 certe vixisse Polybius docet.

Alexander Trichoniensis copiis praeerat contra Philippum Thermo imminentem missis (Polyb. V. 13).

Alexander Isius saepius nobis occurrit. illud 'Isius' non, ut e Polybii dubiis verbis concludi oportere videtur. — Polyb. XVIII. 3. 1. Ἀλέξανδρος ὁ προσαγορευόμενος Ἴσιος et XXI. 25. 11 τὸν Ἴσιον ἐπικαλούμενον — est cognomen personale, sed ethnicum nomen ab urbis vocabulo derivatum, id quod duo illi viri Λέων Ἴσιος et Ἀγέμαχος Ἴσιος apud W.-F. 346 anno 196 satis demonstrant, quos non idem illud mirum [1]) cognomen habuisse perspicuum quasi est. [2]) ipsius urbis Aetolicae nomen ignoramus (— Ἴσος?) aeque ac situm.

---

[1]) cf. in indice nominum Pape-Benseler: Ἴσιος = Isismann?

[2]) contra cfd. Ἀγέμαχος Ναυπάκτιος W.-F. 191, anno 174 a. Chr. n.

Nominatur Alexander a Polybio XVIII. 3. 1 ἀνὴρ δοκῶν πραγματικὸς εἶναι καὶ λέγειν ἱκανός alioque loco XXI. 26. 9 πλουσιώτατος πάντων τῶν Ἑλλήνων Dicendi facilitatem saepius ostendit. Idemne hic atque ille fuerit Ἀλέξανδρος Αἰτωλός — Polyb. XIII. 1a — qui contra leges a Dorimacho et Scopa latas dixerit nescimus.

Cum Phaeneas — Polyb. XVIII. 1—8. — Nicaeae contra Philippum Aetolorum rem agebat, aptis et idoneis verbis Isius ille Macedonum contra Aetolos consilia patefecit et vituperavit, ita ut Philippus Αἰτωλικὸν καὶ θεατρικὸν διατεθεῖσθαι τὸν Ἀλεξάνδρου λόγον responderet.

Intererat legationi quoque septem virorum Romam missae. Polyb. XVIII. 10. 9.

Alexander quidam — desideratur hoc loco Ἴσιος; an Καλυδώνιος hic intellegendus est? — T. Quinctium Flamininum admonuit, nisi Philippo ex patrio regno Macedonia expulso pacem in Graecia fieri non posse. μίαν, ἔφη, διάλυσιν πρὸς Μακεδόνας τὸ Φίλιππον ἐκβάλλειν ἐκ τῆς ἀρχῆς. Polyb. XXI. 26. 7 sqq.

Inter eos denique erat ille, qui Romam profecti a Sibyrto circumventi et Charadrum tracti sunt. quod divitissimus ille Graecorum ob summam avaritiam recusabat[1]), quominus tribus, nedum quinque talentis libertatem sibi pararet — plus ducentis talentis habebat — solusque ceteris pecuniam solventibus in carcere remanebat, donec Romanorum iussu sine ullo pretio liberatus est inopinanter, risum Polybii lectorum omnibus temporibus movit atque movebit.

Dicaearchus Trichoniensis.

Anno 195/94 foederis Aetolici praeturam administravit Dicaearchus[2]) Trichoniensis, Thoantis frater (Liv. 35, 12.), ut

[1]) ὁ δὲ Ἀλέξανδρος οὐκ ἂν ἔφη συγχωρῆσαι (πολὺ γὰρ εἶναι τἀργύριον ἐφαίνετο) καὶ τὰς νύκτας διαγρυπνῶν διωλοφύρετο πρὸς αὑτὸν, εἰ δεήσει πέντε τάλαντα καταβάλλειν . . . . οὐκ ἂν ἔφη δοῦναι πλεῖον ταλάντου etc. ἐμοὶ δὲ δοκεῖ κἂν ἐκλιπεῖν τὸν βιόν ἐφ' ᾧ μὴ δοῦναι τὰ τρία τάλαντα.

[2]) ter Dicaearchum quendam hieromnemonis vice fungentem invenimus ante annum 200 apud W.-F. 455 ἄρχοντος Ἥρυος, (W.-F. 455 = Bull. d. c. h. VII. 3), W.-F. 5, 4 = anno 270, CIG. 1689 b ἄρχοντος Νικοδάμου = anno 270 a. Chr. n.

demonstrant inscriptiones tres e Diodori et Peithagorae archontum temporibus exstantes apud W.-F. n. 329, 330, 410, quarum priores duae habent additamentum τὸ πρῶτον (sc. στραταγέοντος) et Bull. d. c. hell. V. n. 17—21 archonte Diodoro atque V. n. 22 archonte Peithagora incisae, in quibus desideratur hoc additamentum.

A principio ille hostem acerrimum Romanorum et partium Romanarum se gerebat.

Anno 198 Dicaearchus quoque cum septem illis viris, quos saepius iam nominavimus, Romam missus non multum profecit in defendenda patria.

Anno 194 iterum Aetoli legationem pro odio Romanorum ei mandaverunt, cum ad Antiochum Syriae regem paullo post praeturam, de qua nihil scimus, peractam a concilio Naupacti habito mitteretur, quem contra rem publicam Romanam incitaret et sollicitaret. exposuit regi in reportanda de Philippo victoria Romanos minimum, in praeda contra agenda summum fecisse. solum Aetolorum auxilio Graeciam occupare potuisse illos. tum Aetolos cum in invidiam Romanorum incidissent, paratos esse ad Antiochum omnibus viribus iuvandum neque parvas esse illas opes. in eo etiam esse, ut Philippus et Nabis, audacter addidit, bellum inciperent et cum illo sese coniungerent. quamquam tum nihil impetravit Dicaearchus, sed maius Romanorum odium in se vertebat. qua de causa paullo post per Glabrionem cum Aetolis de pace agentes postulaverunt, ut Dicaearchus sibi traderetur, id quod Phaeneas reiecit non e more Graecorum tales condiciones esse ratus. (Polyb. XX. 10. 5. Liv. 36, 28. 3).

De Romanorum eius odio Polybius dicit (XXI. 31. 13) quo loco enarrat, Atheniensium et Rhodiensium legatos inter pacis condiciones constituendas apud senatum, cum labare tota res videretur, id monuisse, omnium inimicitiarum auctorem non tam populum Aetolicum, quam principes quosdam Aetolorum fuisse, qui incitassent et inflamassent gentis animos, quorum inter primores fuissent ἀπὸ μὲν τῆς Ἀσίας πνεύσαντες Θόας καὶ Δικαίαρχος. ἀπὸ δὲ τῆς Εὐρώπης Μενεστᾶς καὶ Δαμόκριτος

συνετάραξαν τοὺς ὄχλους καὶ παρὰ φύσιν ἠνάγκασαν πᾶν καὶ λέγειν καὶ πράττειν (cf. Liv. 38. 10. 6).

Plura de eo vid. s. v. Eupolemus, pag. 53 sqq.

Thoas Trichoniensis.

Thoas Trichoniensis, Dicaearchi frater, in eorum excellentium praetorum numero habendus est, quorum de moribus et factis plura nobis nota sunt. Testimonia trium eius praeturarum habemus, alterius, tertiae, quartae. Alterius testimonia sunt inscriptiones apud W.-F. n. 313, 318, [323], 403. 404 [1]), 417, omnes ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς Πειθαγόρα scriptae et Bull. d. c. hell. V. n. 23—25 i. e. anno 194/93; tertiae W.-F. 411 ἄρχοντος Ἀνδρονίκου i. e. anno 181/80; quartae W.-F. n. 65 et 188 ἄρχοντος Αἰακίδα i. e. anno 173/72. illud 'meurt en charge', quod scribit Duboisius, et Thoantis illa in annum 172/71 adscriptio iam propterea falsa sunt, quia tribus annis post iam de Thoante audimus — anno 169. Si vero Thoas, id quod constat, anno 171 praetura functus est, primam eiusdem viri praeturam, de qua adhuc nesciebamus, ad annum 200 proferendam putemus proxime, i. e. ad annum 203, vel potius 202. (cf. de Alexandri Calydonii prima praetura). Circa annum igitur 232 natus erat Thoas, circa annum 171 in quarta praetura annum aetatis sexagesimum alterum agebat vel maiorem, in qua re mirabimur recte, virum tot annorum in primo civitatis loco stetisse, id quod nisi Thoantis auctoritate summa intellegere non possumus [2]).

Anno 194/93 Thoante iterum praetore Dicaearchum fratrem vel minorem natu ad Antiochum missum esse supra iam demonstravimus. Insequenti quoque anno Thoas vir summae auctoritatis — princeps gentis — in Aetolia erat statimque post praeturam absolutam fratis loco ad Syriae regem [3]) legatus est, apud quem plus illo impetravit. Cum Menippo Syriae

---

[1]) n. 410 errore Duboisius huc adscripsit. legitur in ea στραταγ. Δικαιάρχου.

[2]) quattuor praeturas praeter Thoantem solus, quantum scimus, peregit Ἀρχέδαμος Φολάς, de quo infra videbimus.

[3]) cf. Liv. 35, 32. 3 et Weissenbornii notam; Appian. Syr. 12.

legato reversus incredibiles quasi iactationes de Antiochi opibus prae se ferebat: 'ingentem vim peditum equitumque venire, ex India elefantos accitos, ante omnia, quo maxime moveri credebant multidudinis animos, tantum advehi auri, ut ipsos emere Romanos posset'. Quod tum aderat in Panaetolico concilio Eurylochus Magnetarchus Aetolis Demetriadem dediturus, bene accidit. frustra Flamininus Atheniensibus conciliatoribus usus rem dissuasit, quin etiam ipse, cum res non procederet, in Aetoliam se contulit, ut ipse caecos admoneret officii et ab inimicitiis praecipitibus defenderet. Contra tamen Thoas suique effecerunt, ut Antiochus accerseretur ad liberandam Graeciam disceptandumque inter Aetolos et Romanos. Paullo post haec Thoas Chalcidem profectus. Euboeae urbem praestantissimam occupare et in Aetolorum potestatem redigere conatus est (Liv. 35. 37. 4). nam cum duo cives, Euthymidas et Herodorus sese ad proditionem urbis paratos esse dixissent, Thoas cum duobus milibus peditum, CC equitibus, triginta liburnis postquam primo in sinu Maliaco constitit, tum sinum transgressus noctu magnis itineribus Chalcidem petivit. sed iam antea cives ab Eretriensibus et Carystiis auxilium petiverant et acceperant. itaque per nuntium ad Thoantem missum ab Aetolis quaesiverunt, quam ob iniuriam ab Chalcidensibus acceptam ulcisci vellent insulam. grandiloquus Thoas respondit: venisse sese ut iugo Romanorum incolas liberarent, nam graviore tum catena vinctos esse illos, quam cum Macedonum praesidia in urbibus habuissent. Dicentibus contra Chalcidensibus se de iugo aut catena nescire neque ullo auxilio egere, Thoas suique cum intellegerent, nihil se profecturos esse — ad occupationem, non obsidionem parati erant — domum redierunt. Rursus tum Thoas in Asiam se contulit ad Antiochum cunctantem (Liv. 35, 42) et de iuvando aut in Africam mittendo Hannibale dissuadebat, bellicae Poeni gloriae regem admonens invidiamque Antiochi contra Poenum movens: in manibus iam Aetolorum esse Demetriadem, unumquemque Graecorum Antiochum desiderare et exspectare. ne effugere sineret opportunitatem temporum. Talibus orationibus profecto regi persuasit, ut Hannibale in praesens tempus derelicto

exiguis cum copiis in Europam transiret. quo in Panaetolico concilio locuto inter Thoantem et Phaeneam exorta est discordia, de qua supra diximus, altero omni modo ad incipiendum bellum suadente et praetorem amicitiae erga Romanos etiam arguente: ne in Flaminino aut in Romanis spem ponerent; solum bellum Antiocho duce gerendum illis profuturum esse. Vicit Thoas. Antiochus cum auxiliis Aetolicis, quorum inter duces videtur fuisse Thoas, Chalcidem profectus est (Liv. 35. 46). Iterum hic Thoas ad accipiendum Antiochum et foedus Aetolicum suasisse videtur frustra, id quod iam antea conatus erat. tum foederati Demetriadem copias reduxerunt. Chalcide paullo post expugnata paenituit brevi regem Syriae expeditionis, de Thoantis vanis promissis acerrime questum. (Liv. 36, 15. 1). rursus favorem in Hannibalem detulit et ad alias res animum advertit.

Denuo tamen Thoas Heraclea expugnata ab Aetolis post concilium Hypatae habitum (Liv. 36, 26) ad Antiochum legatus ab eo petiit, ut si posset ipse cum exercitu classeque veniret, sin minus ut pecunias mitteret certe; non solum Graeciam, sed etiam suas ipsius res auxilio egere. Antiochus haec vera esse postquam intellexit, missis pecuniis se ipsum venturum esse pollicitus a Thoante, ut apud se remaneret, postulavit, id quod facillime ille concessit, ut nulla mora interposita ad promissa servanda regem impelleret et 'exactor praesens promissorum adesset'.

Anno 189 in pace constituenda Romani Thoantis praecipue meminerunt, quippe qui sine mora ad bellum incitasset, et ab Antiocho, ut dederetur ille, postulabant (Polyb. XXI. 31. 13. Liv. 38, 10. 6. Polyb. XXI. 17. 4 et XXI. 45. 11). Re vera traditum esse tum Thoantem sine dubio constat. sed iam anno 181 auctoribus Pantaleonte et Nicandro legatis (Polyb. XXVIII. 4. 1—12) liberatus praeturam suscepit tertiam. inde ab illis temporibus studiosissime intestinis civium discordiis intererat, ita ut Romanorum partes tum secutus esse videatur. Talem eum in concilio anni 169 Thermi habito invenimus, cum Romanorum legati C. Popillius et Cn. Octavius aderant, qui obsides dandos poscerent. ubi Lycisco quodam Romanorum

amico manifestissimo Archidamum et Pantaleontem ut suspectos homines notante, Pantaleon acerrime in illum invectus ut impudentem Romanorum assentatorem Thoantem praeter ceteros adortus est, cuius criminibus semper fidem haberent Romani, qui aeque ac Lyciscus ignavus et nefarius adulator esset. tantam his verbis Aetolorum iram movit, ut non modo non facultatem defendendi darent Thoanti, sed ut lapides in illum conicerent, vix ut C. Popillii intercessione servaretur. Tum legati domesticis his Aetolorum dissensionibus contenti sine obsidibus abscesserunt. De Thoantis morte quamquam nihil constat, illum in civium quodam tumultu necatum esse veri simillimum est.

Archedamus Pholas.

Anno 191/90 primam Archedamus Pholas praeturam administravit. vocabulum illud, quod in titulis exstat Φολά (sc Ἀρχεδάμου) non patronymicum, sed ethnicum[1]) nomen adhuc ignotae urbis Aetolicae est, aeque atque Ἴσιος illud, de quo iam disputavimus. nam excepto eo, quod habemus Πρόανδρος quoque Φολάς, qui Pholae (?) cuiusdam filius adhuc et frater Archedami habebatur, non est consuetudinis Graecae, patronymicum nomen in praescribendo tempore Aetolici cuiusdam praetoris addere. ubique iuxta proprium personae nomen additur aut urbis vocabulum aut nihil, nusquam patronymicum. ceterum necesse erat in adscribendo patronymico scribere Ἀρχεδάμου (vel Προάνδρου) τοῦ Φολᾶ neque duos genetivos casus coniunctos nullo separante vocabulo interposito apponere. sed quod summum est, Πρόανδρος de quo dicimus W.-F. 459 = Bull. VII. 6 (16) anno 178 hieromnemonis vice fungitur, hunc in modum nominatus: Πρόανδρος Προάνδρου Φολάς. hoc loco patronymicum adscriptum est ipsum, ut clare cognoscatur, Φολάς illud esse nomen ethnicum.

Inscriptionum testimonia ad Archedami praeturas pertinentia complura exstant, primae anno 191/90 W.-F. n. 320, 321; alterius anno 188/87 Bull. d. c. hell. V. n. 31; tertiae anno 182/81 W.-F. n. 371, 372, 382 et Bull. d. c. hell. V.

---

1) Bull. d. c. h. VII. p. 435 s. v. Πρόανδρος Προάνδρον Φόλα.

n. 33; quartae anno 175/74 W.-F. n. 121[1]), 130, 178. Difficultates quasdam praebuit inscriptio apud W.-F. n. 130 signata, in qua Wescherus, Foucartus, sectatores legerunt στραταγέοντος Ἀρχεδάμου τὸ τρίτον. sine dubio ponendam esse inscriptionem in quarta praetura, archontis Delphici praescriptio ostendit Sosinici[2]) statim Archelaum Demosthenis filium secuti. praeterea Pomtowius (Beitr. z. Topogr. v. Delphi pag. 4. not.) declaravit, habere lapidem nequaquam τὸ τρίτον, sed — ut maiusculis litteris utamur

TOTETAPON (!)

ad quod cfd. Collitzii commentarius GDI. n. 1982, Pomtowio assentientis, quod attinet ad rem ipsam, non tituli simile ab illo datum.

Primo Archedamum reperimus in pugna apud Cynoscephalas commissa, ubi cum Eupolemo, imperatore Flaminino, praeerat equitum Aetolicorum turmis (Polyb. XVIII. 21. 5). cum praedicetur socius, Archedami laudes non inveniuntur. Ipse tamen postea in concilio anni 192 Aegii habito apud Flamininum summis laudibus se effert: tum Aetoli praesentibus Antiochi legatis superbiebant audacterque et ferociter in Romam vociferabantur. Archedamus — quem Livius 35. 48. 10. ceterisque locis Archidamum nominat, Polybio inter Ἀρχέδαμος et Ἀρχίδαμος diiudicante — ab Achaeis petit, ut neutram bellantium partem sequantur, et cum Romae tum Flaminino ipse maledicit: non solum victoriam apud Cynoscephalas se Romanis, sed etiam vitam ac salutem sua fortitudine servasse. officia peregisse haudquaquam imperatorem, sed cum ipse pectore illum a telis defendisset, versatum esse medio proelio in auspiciis, sacris, votis, talibus rebus inanibus[3]). Respondit

---

[1]) huc adscribendus W.-F. n. 322. archon huius est Ἀρχέλαος Δαμοσθένεος; erraverunt Wescherus et Foucartus scribentes στραταγέοντος τὸ τρίτον.

[2]) cfd. Mommsenii archontum Delphicorum tabulae.

[3]) cf. Plut. comp. Philopoem. et Flamin. 5: τῶν Αἰτωλῶν αὐτὸν Ἀρχέδημον ἐπέσκωπτεν, ὡς ὅτε αὐτὸς ἐσπασμένος τὴν μάχαιραν ἔθει δρόμῳ πρὸς τοὺς μαχομένους καὶ τοὺς συνεστῶτας τῶν Μακεδόνων, τοῦ Τίτου τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ὑπτίας ἀνατείναντος ἑστῶτος καὶ προσευχομένου.

Flamininus, semper Aetolorum ferociam non in factis, sed in verbis positam esse.

Anno 191 post Heracleam captam Archedamus quoque inter legatos ad M'. Acilium missos erat et cum Lucio Valerio Flacco Hypatam revertit.

De praeturae eiusdem hominis annis nihil scimus.

Anno 169 denuo eum reperimus in Thermaeo illo concilio cui intererant legati Romani. in eo accusabatur a Lycisco id agente, ut ille aeque atque Eupolemus et Nicander Romam ageretur, quippe qui συναγωνιστής et παραστάτης ἐκείνων esset. Respondit Pantaleon, quem una cum Archedamo vituperaverat. Eeodem genere et familia ortos esse Archedamum et Pantaleontem, de quibus hic agitur, vix putandum est[1]. Romanorum autem inimicum fuisse Archedamum iam inde efficitur, quod cum Perseo rege faciebat. Anno 169 illi promiserat (Liv. 43, 21) sese Stratum, munitissimam Aetoliae urbem, Macedonibus traditurum esse. (quo loco princeps Aetoliae nominatur). sed cum urbis incolae primo ad Macedones inclinarent, appropinquante tamen rege animos commutaverunt, et portas clauserunt, ita ut male cederet res. regi nuntius allatus est, traditam esse urbem C. Popillio legato Dinarchumque Aetolorum hipparchum sive equitum magistrum cum DC equitibus, cum Perseo se coniuncturum, commutatis rebus ad Romanos defecisse. Oppugnationem urbis recte dissuasit Archedamus, ad expeditionem autem in Aperantiam faciendam admonuit ubi multum valeret ipse. Profecto ob eius auctoritatem Perseus ibi acceptus est (Liv. 43. 22. 11) et Archedamus cum DCCC militibus remanebat in praesidio.

Anno 168 post cladem apud Pydnam acceptam Perseum regem frangentem Archedamus cum duobus familiaribus -- Euandro Cretensi et Neone Boeoto, Liv. 44, 43. 6 — regem Pellam versus fugientem tegebat. quamquam secundum Livii verba (45. 6. 2) plures his comites regis videntur fuisse.

Post annum 168 nihil iam de Archedamo audimus. si putamus eum tum cum anno 197 copiis praeerat, tricesimum

[1]) de Pantaleontis-Archedami familia infra conferenda plura.

primum annum egisse, efficitur, illum circa annum 227 natum esse et, cum Perseum sequebatur, sexagesimum circiter annum egisse.

Nicander Trichoniensis.

Nicandri Trichoniensis tres praeturae inscriptionum testimoniis nobis notae sunt, prima anno 190/89 titulis apud W.-F. 316, 339, 359; altera anno 184/83 titulo apud W.-F. 388; tertia titulis apud W.-F. 190, 204, 362, 393, anno 177/76.

Nicander filius erat Bitti Trichoniensis, qui ἄρχοντος Πειθαγόρα inter annos 230 et 200 hieromnemo apud Lebasium n. 840, apud W.-F. n. 454, in Bull. d. c. hell. VII. n. 5 profertur, nepos Nicandri hieromnemonis anno 271 in titulo apud W.-F. n. 4 adducti.

Anno 193 ad Philippum Macedonum regem Nicander legatus est (Liv. 35. 12. 10), quem ad bellum cum Romanis gerendum et foedus cum Aetolis pangendum moveret. Bene accidit, quod ad regem, qui multa perdiderat, facile aditus ei patuit. rebus bene perspectis et animo Philippi recte cognito de vetere Macedonicorum regum gloria locutus a Philippo petiit, ut simulatque Antiochus in Graeciam venisset, ad se deficeret. sine sociis illum tam diu restitisse Romanis, cum sociis coniunctum fore invictum, praesertim cum Hannibal inimicissimus Romanorum cum Antiocho veniret. Tamen non statim rex Nicandri consilia secutus rem in posterum tempus protulit.

Anno 191 post Heracleam captam legatio ad Antiochum Thoante duce missa est (Polyb. XX. 10 - 19) cui, ut e Livii verbis (36. 29. 3) colligitur, Nicander quoque intererat. cum in reditu duodecim diebus post profectionem Phalara ad Maliacum sinum sita appulsus pecuniam ab Antiocho acceptam Lamiam praemisisset, ipse in vesperi caligine inter Romanorum et Macedonum castra Hypatam ad Panaetolicum conventum pervenire conatus in manus vigilum incidit et ad Philippum, qui eum e priore legatione bene noverat, ductus est προορώμενος ἤτοι πείσεσθαι δεινόν τι πεσὼν ὑπὸ τοῦ Φιλίππου θυμὸν ἢ παραδοθήσεσθαι τοῖς Ῥωμαίοις. sedebat apud epulas rex nobilemque Aetolum non ut hostem, sed ut hospitem accumbere epularique iussit — ἐκέλευσε τοὺς ἐπὶ τούτων ὄντας θεραπεῦσαι τὸν Νίκανδρον

καὶ τὴν λοιπὴν ἐπιμέλειαν αὐτοῦ ποιήσασθαι φιλάνθρωπον, illi de se ipso nihil timendum esse professus. De perversis Aetolorum consiliis et factis conquestus a Nicandro postulavit, ut omnibus viribus id spectaret, ut inimicitiis contra Macedones depositis secum coniuncti Romanis nocere possent. Tum eum Hypatam a militibus duci iussit. quo cum advenisset de Antiochi apparatu belli et de Philippi in Aetolos amicitia locutus id effecit ut denuo pax deleretur.

Anno 190/89 praetor erat. Tum cum Amynandro rege Athamanum, qui aliquamdiu exsul in Aetolia vixerat, fecit. quem cum cives in patriam redire iussissent, paratum esse sese Nicander dixit (Liv. 38, 1—3) cum copiis Aetolicis eum reducere Macedonicaque praesidia in illorum finibus resistentia repellere. quae res cum M Aetolis suscepta, quamvis ipse Philippus resisteret, optime cessit ita ut tempus advenisse Nicander existimaret, quo Amphilochiam et Aperantiam recuperaret (Polyb. XXI. 25. 3). exercitu collecto in Amphilochiam invasit, quae in potestatem eius ipsa rediit aeque atque Aperantia. Tum in Dolopum fines invasit, qui quamvis initio repugnarent post clades a Philippo in Athamania acceptas de salute desperantes ad Aetolos defecerunt, ut victor Nicander domum redire posset. sed superbiam Aetolorum delevit nuntius de Antiocho in Asia devicto et de oppugnatione Ambraciae imminente allatus. Itaque postquam M. Fulvius Nobilior cum oppugnationis apparatu ad urbem advenit concilio Stratum convocato praetor de liberanda Ambracia legem tulit. Profecto factum est ut civibus urbis fortissime resistentibus M milites Eupolemo duce per castra Romana in urbem pervenirent — Liv. 38. 4. 8 (Polyb. XXI. 27. 7 de D equitibus dicit) — iussi die quo convenerat contra Romanos eruptionem facere, quam Nicander cum suis adiuvaret. Sed omnino irrita fuit eruptio, cum Nicander non adesset (Polyb. l. l.). nam cum videret non multum sibi profuturam esse expugnationem Epirotarum castrorum — coniuncti Epirotae cum Romanis Ambraciam oppugnabant — reducto exercitu Acarnaniam populatus discesserat. Itaque Ambracia hostibus prodita esse videbatur. nam etsi iterum D milites Nicander duce Nicodamo (Liv. 38. 5. 6)

-- cf. Polybii D equites — in urbem miserat atque ipse aggressurus erat, iterum tamen res male cessit Nicandro in Amphilochiam a Perseo occupatam profecto neque postea spes liberandae urbis aucta est, quia praetori contra Pleuratum Illyrium Aetolicam oram populatum exercitus ducendus erat. itaque iussu Panaetolici concilii Phaeneam et Damotelem ad consulem misit, qui de pace agerent. multis utrimque verbis factis Ambracia praecipue Athamanum rege auctore consuli portas aperuit et in Romanorum potestatem rediit.

Tum Nicander et Phaeneas Romam se contulerunt, ut de constituenda pace cum senatu Romano agerent, id quod Atheniensibus et Rhodiensibus deprecatoribus nacti sunt.

Anno 178 archonte Praxia Nicander quoque inter Aetolicos hieromnemones in Pylaea aderat.

Anno 169 denuo de eo audimus. in concilio illo Thermaeo apud legatos Romanos a Lycisco Nicander quoque inter eos nominatus est, qui Romam abducti essent ut suspecti. quod factum videtur esse anno 170, cum Hippolochus, Lochagus, Nicander in equestri proelio apud Sycurium Thessaliae oppidum commisso (Polyb. XXVII. 15. 14) quo Perseus vicit et Aetoli cum Romanis rem gerebant, ignavi fuisse dicebantur.[1] 'pro se quisque' dicit Livius, 'in Aetolos conferebant causam. ab iis fugae terrorisque principium ortum: secutos pavorem Aetolorum et ceteros socios Graecorum populorum. quinque principes Aetolorum, qui primi terga vertentes conspecti dicebantur, Romam missi (Liv. 32. 60. 8). Thoantem, dixit hic Pantaleon, suis ipsius atque Nicandri legatorum laboribus liberatum esse. Ipsum Nicandrum Roma non dimissum esse, Polybii locus ostendit XX. 11. 10, ubi de Nicandro a Pilippo capto narratur et additur: διὸ καὶ μετὰ ταῦτα κατὰ τοὺς Περσικοὺς καιροὺς ἐνδεδεμένος ταῖς τοῦ Περσέως ἐπιβολαῖς εἰς ὑποψίας καὶ διαβολὰς ἐμπεσὼν καὶ τέλος ἀνακληθεὶς εἰς Ῥώμην ἐκεῖ μετήλλαξε τὸν βίον. illum autem et Philippo et Perseo filio animo favisse κατὰ δὲ τὸν

[1]) cf. Appian. Mac. 12. Αἰτωλῶν δὲ καὶ ἑτέρων Ἑλλήνων κατεψεύσαντο ὡς πρώτων τραπέντων; Polyb. 27. 15: ἀπὸ τῆς ἱππομαχίας, de quare cf. Lochagus.

ἑξῆς χρόνον ἀπὸ ταύτης τῆς συστάσεως εὔνους ὢν διετέλει τῇ Μακεδόνων οἰκίᾳ, eosque devicturos esse Romanam rem publicam clam sperasse et voluisse, nequaquam mirum nobis videtur.

[Timaeus]. Eupolemos.

In anno 189/88 Duboisius Timaei praeturam posuit, quamquam ipse interrogationis signo apposito rem in dubio relinquit. re vera hanc coniecturam solum id defendit, quod praetorum tabula hoc loco lacuna interrumpitur, et quod Timaeus ille locum nondum invenit suum. Primus Haussoullierus in exponenda Bull. d. c. hell. V. n. 14 inscriptione, quae Timaeum praetorem praebet, coniecit, fortasse eum hoc in loco ponendum esse. sed hoc Aetolorum decretum quo constituebatur, nequis peregrinus Delphis incolens immunis esset, nisi ipsi ei ἀτέλεια daretur et tribueretur, antiquius certe est initio manumissionum, i. e. anno 201 a. Chr. n. praeterea scripturae huius tituli proprietates[1]) — ipsi mihi inspicere licuit ectypum chartaceum, a Pomtowio factum et in Inscriptionum Corpore edendum — indicant tempus ante annum 200. (rectae magnae litterae,

---

[1]) de hac re Pomtowius in ea dissertatione quae inscribitur 'Zur Datierung des Delphischen Päan und des Apollohymnus, dicit haec: die Delph. Schreibweise der Jahre 200—130 unterscheidet sich von der früheren dadurch, dass, sei es durch andere Handhabung des alten, sei es durch Einführung eines neuen Meissels die bisherigen Elemente der Schriftzeichen, die geraden Linien, überall durch Keile ersetzt werden, also die Enden der Buchstabenhasten nicht mehr glatt, sondern verdickt, keilförmig auslaufen, und dass bei M, N, Π diese Keile beim Zusammenstossen mit den spitzen Anfängen der anderen Elemente über diese übergreifen, während vorläufig noch jede Hinzufügung wirklicher Apices fehlt. Hand in Hand damit geht eine auffällige Verringerung der Höhe der Buchstaben, die um 150 v. Chr. einigemale bis auf $4^1/_2$ mm. (bei Steinschrift!) sinkt, sich aber meist in den Grenzen von 6—7—8 mm. hält, während im III. Jhdt. kleinere Schrift als 9—10 mm. nur ganz ausnahmsweise zu finden ist. Das erste Auftreten der neuen Schreibart beginnt sich in schwachen Andeutungen im letzten Viertel des III. Jhdts. bemerkbar zu machen, so namentlich in der nicht vor a. 225 geschriebenen Amphiktyonen-Urkunde des Bull. d. c. hell. VII. p. 417 n. 1. ἄρχοντος Καλλία etc.

hastae sine ullis cuneolis vel apicibus ductae. Huc accedunt ea, quae aliunde de Timaeo scimus.

Polybius (IV. 34) eum cum Charixeno[1]) ducem magnae illius expeditionis in Laconiam susceptae nominat, qua omnia vastata, περίοικοι servi facti, omnia inversa sunt, cuius tempus et Droysenius et Dittenbergerus circa annum 242 ponunt.

Apud Polybium IX. 34 de templo Dianae Lusis et de templo Neptuni Taenari per Timaeum direptis dicitur ita, ut temporum ratio definiri nequeat. sed quod paullo post proferuntur Nicostratus et Lattabus, aliquanto ultra annum 200 tempus prolatandum esse videtur. quod porro Timaeus apud Lebasium n. 328 = Dittenberg. Syllog. n. 181[2]) Aetolicus legatus Phigaleam missus adducitur et apud Leakium n. 9, inscriptione quadam ad Calliclem[3]) pertinente, satis certe aetas eius inter annos 290—230, annus natalis ca. annum 290 ponendus est. ceterum notabiles sunt tituli duo apud W.-F. n. 361 et 188, quorum in altero Μένανδρος Τιμαίου Ἀπολλωνιεύς, praes anno 189, in altero Εὔδαμος Τιμαίου Ἀρσινοεύς manumissor anno 173 legitur. Fortasse alter eorum filius huius Timaei est? sed haec hactenus.

---

[1]) cf. Polyb. II. 46; Plut. Cleom. 18. Brandstäter. p. 324. Charixenus praetor profertur Bull. V. 2 in inscriptione notissima de accipiendis Soteriis, a Koehlero consentiente Dittenbergero (Herm. II. 298 sqq.) in anno 277/76 posita i. e. duobus annis post invasionem Brenni. cf. CIA II. 323. Charixenus ille decreti Aeschrionis CIA II. 309 an. 287/86 idem est si Koehlerum sequimur. cf. Bull. d. c. hell. XVII. p. 614: tout auprès et audessus s'élevait un monument consacré par le préteur des Étoliens Charixénos; on a retrouvé la corniche architravée. (cf. Χαρίξ· Ἀμφισσεύς testis W.-F. 215 ἄρχ. Ἄρχωνος Καλλία). cf. 1) Χαρίξενος Ἐχεφύλου Ἀμφισσεύς Bull. d. c. h. V. 42 sacerdotibus Πραξία, Ἀνδρονίκου. i. e. sacerdot. VI. 2) Χαρίξενος. ἄρχων ἐν Ἀμφίσσαι. Bull. d. c. h. V. 41, ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς Κλευδάμου.

[2]) cf. Ditt. syll. n. 181: magna cum probabilitate inter annos 250—222 haec scripta statuit Foucart. cf. Droysen. Gesch. des Hellenismus III. p. 429. Timaeum eundem putaverim qui praetor Aetolorum est in titulo Delphico Bull. d. c. hell. V. n. 14 (Polyb. IV. 34. 9 et IX. 34. 9).

[3]) cf. Pomtowii dissert. 'Fasti Delphici II pag. 507—517: de Amphictyonum decretis, de inscriptionibus ad Calliclem pertinentibus.

Multo aptius suppletur lacuna anni 189/88 prima Eupolemi praetura, quamquam non huius primae testimonia habemus, sed alterius modo W.-F. n. 89, 198, 199 anno 176/75. Duboisius primam eius praeturam in anno 187/86 posuit et addidit: c' est la seule date vraisemblable à assigner à la première stratégie d' Eupolémos: sed haec causa cadit sublata Timaei coniectura, et aptius anni 187/86 reservantur alteri Dicaearchi praeturae inscriptionibus non traditae. nam quod compluribus Dicaearchi locis additur τὸ πρῶτον (sc. στραταγέοντος) ad primam praeturam pertinentibus, veri simillimum, opinor, est, bis certe eum praetura functum esse. vix autem in annum 189/88 inseri potest, nam cum in pace paullo ante constituta postulassent Romani, ut traderent Dicaearchum Aetoli, Dicaearcho iterum praetore deligendo denuo gravissime offensuros fuisse Romanos constat eos. sed duobus vel tribus annis post praeturam ille administrare potuit. quae cum ita sint, magis magisque hoc in anno videtur ponendus esse Eupolemus[1]).

Anno 197 Eupolemus Flaminino duce Aetolicis equitibus praeerat et brevi ante pugnam apud Cynoscephalas commissam in via a Pheris ad Larissam ferente fortissime contra Macedonum velites et equites pugnavit (Polyb. XVIII. 19. 11). Aetolorum fortitudinem etiam inflammasse Romanos atque Macedones reppulisse concedit, τῶν δὲ περὶ τὸν Εὐπόλεμον τὸν Αἰτωλὸν εὐρώστως κινδυνευόντων καὶ συνεκκαλουμένων τοὺς Ἰταλικοὺς πρὸς τὴν χρείαν, θλίβεσθαι συνέβαινε τοὺς Μακεδόνας. Postero die iterum congressi sunt. decem equitum turmae et M Flaminini pedites cum agmine primo Philippi manus conserebant. laborantibus Romanis equites Eupolemo et Archedamo et duobus Romanis chiliarchis ducibus alteros M Flamininus auxilio misit, qui statim proelio restituto tam fortiter Macedones adoriebantur, ut a rege auxilium petere cogerentur. quod cum advenisset, Romani rursus laborabant, ita ut sola fortitudine et constantia Aetolorum, quominus fugerent, impedirentur et agmine instructo recedere possent: μέγιστον δ'αὐτοῖς ἐμπόδιον ἦν

---

1) Eupolemi avus hieromnemo erat Aetolicus anno 271 ἄρχοντος Ἐμμενίδα = W.-F. 4, 3.

τοῦ μὴ τρέψασθαι τοὺς πολεμίους ὁλοσχερῶς ἡ τῶν Αἰτωλικῶν ἱππέων φιλοτιμία· πάνυ γὰρ ἐκθύμως οὗτοι καὶ παραβόλως ἐκινδύνευον Polyb. XXVIII. 22. 4. itaque rursus stabat pugna et ancipiti Marte dimicaverunt. quamquam post victoriam reportatam primi Aetoli in agendo et ferendo erant.

In Ambracia oppugnanda occurrit nobis Eupolemus eadem fortitudine et audacia officia peragens (Polyb. XXI. 27. 7). per oppugnantium opera et castra M vel D milites in urbem perduxit et postquam Nicodami auxilia accepit, fortissime restitit. 'Atrox pugna in unum inclinaverat locum. ibi diversis partibus duo duces Eupolemus et Nicodamus pugnantes hortabantur etc. Liv. 38. 6. solis rebus adversis cedere denique cogebantur propugnatores urbis.

Anno 174 Eupolemus intererat civium discordiis (Liv. 41, 25) robur gentis delentibus. cum octoginta exsules Hypatenses, qui cum Romanis olim fecerant, in patriam reversuri fidem cum ab omnibus civibus tum ab Eupolemo inimicissimo Romanorum accepissent principe civitatis gratulante eis optime et necopinantes in urbis portas intravissent, ad unum omnes trucidati sunt[1]). Praetorem huius anni fuisse Eupolemum, Weissenbornius e verbis illis 'civitatis principem' colligendum esse opinatur errore, ut infra videbimus. civitas ceterum, de qua dicit Livius, Hypatensis videtur esse, cui Eupolemus quoque vir fortasse summae auctoritatis (— ἄρχων? —) intererat.

Eupolemum denique in eorum principum numero fuisse, qui post pugnam apud Sycurium commissam anno 170 ignaviae falso accusati Romam abducti sunt, socium eum fuisse Hippolochi, Nicandri, Lochagi, e Polybii locis (XXVII. 15. 14; XXVIII. 4) (Liv. 42, 60) sine dubio colligitur. Is quoque aeque ac Nicander Romae in carcere retentus e vita cessisse videtur[2]).

---

[1]) cf. Brandstaeter. p. 479. Schornii Griech. Gesch. p. 333.

[2]) cfd. nostra de Nicandro et Lochago expositio.

Pantaleon Pleuronius.

Pantaleontis Pleuronii[1]) duarum praeturarum testimonia exstant, primae anno 186/85 inscriptiones apud W.-F. n. 179 et 264, tertiae anno 174/73 titulus apud W.-F. n. 191. errat Duboisius tertia in anno 173/72 posita. inscriptio enim n. 191 Bucatio, secundo Delphorum mense Aeacidae archontis incisa est. decem igitur iam menses praetor Aetolicus, cuius nomen praebet, munere fungebatur i. e. iam anno 174. altera praetura, cuius certo documento caremus, in sola tabulae lacuna, inter annos 185 et 174 hiante, ponenda est, i. e. in anno 180/79.

Pantaleon filius erat illius Archedami anno 220 Dorimacho et Alexandro ducibus Aegirae interfecti (Polyb. IV. 57/58); nepos Pantaleontis, quem Plutarchus (Arat. cap. 35) anno 240 amicitias inter Achaeos et Aetolos pepigisse dicit. maioris Pantaleontis pater erat Petalus[2]) quidam (cf. Collitz, GDI. n. 1415). Nostri Pantaleontis filius est Φ[ὸ]λ[αξ] Πλευρώνιος in Bull. d. c. hell. X. p. 187, cuius aetas accuratius definiri nequit. certum videtur hoc familiae stemma:

Πέταλος	natus ca.	ann.	300	a. Chr. n.
Πανταλέων I	„	„	275	„
Ἀρχίδαμος	„	„	250	„
Πανταλέων II	„	„	216	„
Φ[ὸ]λ[αξ]	„	„	?	„

---

[1]) de antiquissimo Pantaleontis cuiusdam genere Pausanias VI. 22. 2. (ol. 34 = anno 644) dicit, quod Curtius, griech. Gesch.[5] I. 214 pertinere ad Aetolorum familiam olim Pisam transgressam opinatur. Hoc est generis stemma:

1) Omphalion
|
2) Pantaleon

3a Damophon — 3b Pyrrhos.

sed antiquiora haec, quam ut rationem eorum habere debeamus.

[2]) in decreto illo apud Cauer. del. p. 125, 6 ʽΠανταλέων Ἀττάλου Πλευρώνιος ʽΠετάλουʼ scribendum videtur. similiter in Bull. V. p. 137 sq. loco ʽΝέταλος Καλλιπολίτας corrigendum ʽΠέταλοςʼ. De affinitate certi nihil scimus, conicimus modo. De Petalo cf. Bull. V. 44 et 45. W.-F. 100. Anecd. Delph. 21. notabilis quoque in Bull. V. 36: Ξενότιμος Πανταλέωνος Φυσκεύς.

Pantaleon de quo hic agitur cum Archedamo et Chalepo (Chaleso) post Heracleam expugnatam a Phaenea ad M' Acilium Glabrionem consulem missus indutias decem dierum et L. Valerium Flaccum conciliatorem Hypatam secum duxit. (Polyb. XX. 9. 2).

Anno 172 ille Eumenem regem[1]) — Liv. 42. 15 — ab insidiatoribus Persei defendit, cuius amicus Archedamus Aetolus erat. Euander enim Cretensis regi in angustiis viarum per interfectores nonnullos insidias paraverat. cum ante regem Pantaleon cum illo collocutus in locum intraret, statim insidiatores saxa in regem coniecerunt, quibus in capite et in humeris laesus est. qui cum semianimis concidisset satellitibus fuga salutem petentibus solus Pantaleon constanter impavidus mansit ad protegendum regem, donec interfectores opus confectum rati discederent. Hoc modo Eumenes servatus est. Pantaleon hoc Livii loco 'princeps Aetoliae' nominatur.

Anno 169 in concilio Thermaeo satis aperte se Romanorum inimicum esse Pantaleon ostendit et Aetolorum Romanas partes sequentium (Polyb. XXVIII 4. 9). Lycisco illum et Archedamum notante, qui obsides Romam ducendi essent, iratus Pantaleon surrexit illumque impudentem et nefarium adulatorem nominavit Thoantis simillimum. sed Thoantem praeterea esse ingratissimum quam celerrime oblitum, eum Romam abductum nisi Nicandri suisque laboribus non liberatum fore. tantopere inflammavit haec oratio Aetolos, vix ut Thoas mortem effugeret lapidibus in eum coniectis.

Proxenus Trichoniensis.

Praetura Proxeni secundum Haussoullierum (Bull. d. c. hell. V. 32) in annum 183/82 cadit. titulus archonte Aristaeneto mense Poetropio incisus.

De eo per Livium audimus (41. 25). Anno 174 octoginta ex exsilio reversuris Hypatensibus nobilibus Proxeni i. e. Romanorum partes sequentibus Eupolemus quamquam fidem dederat et promiserat, incolumes illos redituros esse, apud

---

[1]) cf. Pomtowii Fast. Delph. I p. 566 et Beitr. z. T. v. D. p. 85 not. 2.

portas urbis interfecit itaque bellum civile denuo incendit. Apud legatos quinque C. Valerium Laevinum, Ap. Claudium Pulchrum, C. Memmium, M. Popillium, L. Canuleium a Romanis missos, qui Delphis cum partibus de ea re agerent, causam dixit Proxenus summa eloquentia et fiducia, sed paucis diebus post ab Orthobula uxore veneno sublatus est, ipsa femina in exsilium abiit.

Lyciscus Stratius.

Lycisci primam praeturam comprobant inscriptiones Bull. d. c. hell. V. n. 34 et W.-F. n. 386, anno 178/77 i. e. anno ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς Πραξία incisae. Alteram praeturam quam suffectus habuit, anno 172/71 administravit. ante eum ignotum quendam, non Thoantem, in quarta praetura munere functum esse Bergkius iam monuit, nos quoque in Thoantis vita enarranda repetivimus.

Aperte illum Romanorum partes secutum esse, altera eius praetura, quam auctoritate praesentium Marcii et Atilii legatorum Romanorum accepit, manifeste ostendit. (is quem Romanorum favere rebus satis compertum erat Liv. 42. 38. 1). Is magniloquus Thermi apud Romanos verba fecit id monens, non satis esse (Polyb. XXVIII. 4) Eupolemum et Nicandrum Romam abductos esse, sed συναγωνιστὰς καὶ παραστάτας capiendos et vinciendos esse, quibus verbis Archidamum et Pantaleontem aperte notavit, quorum alter vehementissime statim respondit calumniatori. Idem Lyciscus Hippolochum Nicandrum Lochagum accusaverat, quin etiam cum Tisippo post Persei cladem in eorum numero erat, qui amicissimi Romanorum in Macedoniam convenerunt, unde certis consiliis calumniarentur inimicos.

Anno 167 cum Tisippo incredibile quasi facinus suscepit [1]). Auxilio militum Romanorum ab A. Baebio praefecto libentissime datorum usus concilio civium circumvento DXL nobiles Aetolos principes gentis — crudeliter trucidavit simulque multos in exsilium fugavit venditis eorum bonis. Omnino tamen nemo

---

[1]) secundum Polyb. XXX. 11. 5 Arsinoae an. 168/67 similis strages facta videtur.

huius nefariae internecionis Romanorum ultionem reposcentis meminit. Quaestione in facinoris auctores sublata solus Baebius multatus est (Liv. 45. 28 et 31), quod milites Romanos praebuisset ad ministerium caedis.

De morte Lycisci difficilis intellectu locus apud Polybium XXX. 19 exstat: ὅτι Λύκισκος κάκιστος ὢν καλῶς κατέστρεψε τὸν βίον . . . ὅτι Λυκίσκου τοῦ Αἰτωλοῦ ταραχώδους ὄντος καὶ θορυβώδους, ἀναιρεθέντος δὲ τούτου τὸ ἑξῆς οἱ Αἰτωλοὶ συνεφρόνησαν, ἑνὸς ἀνθρώπου παραχωρήσαντος . . . . quod quid sibi velit ignoramus. Ipsa viri mors circa annum 157 accidit.

Proander Pholas.

Proandri Pholae praeturae tituli apud W.-F. 74, 75, 91, 145 documento sunt. praeterea Πρόανδρος Προάνδρου Φολάς Locrensis[1]) hieromnemo anno 178 apud W.-F. 459 = Bull. d. c. h. VII. 6 citatur.

Solus de eo locus apud Polybium XXVIII. 4. 3 nobis exstat, ad concilium illud Thermaeum pertinens anni 169. postquam legati ut obsides darentur postulaverunt, Proander surrexit, ut officia sua erga rem publicam Romanam enumeraret et illustraret et a principio calumniatores devinceret. C. Popillius tum etsi non ignorabat, re vera eum non amicum esse Romanorum, oratione comprobata omni a parte cum eius sententiis sese consentire dixit.

Nihil aliud de Proandro nobis notum est.

Iamiam componentibus nobis ea quae disputatione nostra invenimus, haec praetorum Aetolicorum intra annos 221 et 168 a. Chr. n. munere functorum tabula constituenda videtur:

a. 221. Ἀρίστων.	a. 216.	vacant.
a. 220. Σκόπας 1.	a. 215.	
a. 219. Δωρίμαχος 1.	a. 214.	
a. 218. Ἀγήτας 1.	a. 213.	
a. 217. Ἀγέλαος I.	a. 212.	

[1]) Aetolorum auctoritate illum iniisse suffragium constat, cf. Busolt, griech. Staatsaltertümer pag. 363 not. 1 et 5.

a. 211. Σκόπας 2.
a. 210. Δωρίμαχος 2.
a. 209. Πυρρίας (Ἄτταλος βασιλεύς).
a. 208.
a. 207.
a. 206. } vacant.
a. 205.
a. 204. Σκόπας 3. (?)
a. 203. Ἀλέξανδρος 1.
a. 202. Θόας 1.
a. 201. Ἀγήτας 2.
a. 200. Δαμόκριτος 1.
a. 199. Χαλεπός.
a. 198. Φαινέας 1.
a. 197. Ἀλεξαμενός.
a. 196. Ἀλέξανδρος 2.
a. 195. Δικαίαρχος 1.
a. 194. Θόας 2.
a. 193. Δαμόκριτος 2.
a. 192. Φαινέας 2.
a. 191. Ἀρχέδαμος 1.
a. 190. Νίκανδρος 1.
a. 189. Εὐπόλεμος 1.
a. 188. Ἀρχέδαμος 2.
a. 187. Δικαίαρχος 2.
a. 186. Παντaλέων 1.
a. 185. Ἀλέξανδρος 3.
a. 184. Νίκανδρος 2.
a. 183. Πρόξενος.
a. 182. Ἀρχέδαμος 3.
a. 181. Θόας 3.
a. 180. Παντaλέων 2.
a. 179. Λοχαγός.
a. 178. Λύκισκος 1.
a. 177. Νίκανδρος 3.
a. 176. Εὐπόλεμος 2.
a. 175. Ἀρχέδαμος 4.
a. 174. Παντaλέων 3.
a. 173. Θόας 4.
a. 172. ? + Λύκισκος 2.
a. 171. Πρόανδρος.
a. 170. Ἀγέλαος II.

Novem anni nomine carent, alii nonnulli non ita quidem nomina habent, ut iam non de iis dubitari possit, sed ut veri simile sit id, quod de iis diximus. in lacunis illis supplendis haec nomina principum Aetolicorum notanda sunt Ἀλέξανδρος Ἴσιος[1]), Πολέμαρχος Ἀρσινοεύς[2]), Λάμιος Ἀμβρακιώτης[3]), Χλαινέας[4]), Εὐριπίδας[5]), Φιλλίδας[6]), Ἀλέξανδρος Τριχονεύς[7]), Λύκωπος[8]), Ἄλυπος[9]), Δαμοτέλς[10]) alii.

---

1) vid. s. v. Alexander Calydonius.
2) vid. s. v. Polemarchus Arsinoensis.
3) Polyb. XVIII. 10. 9.
4) Polyb. IX. 28; 31, 7; 32, 6.
5) Polyb. IV. 19. 5; IV. 59—60; IV. 68—72; V. 94—95.
6) Polyb. IV. 77—80.
7) Polyb. V. 13. 3.
8) Polyb. XXI. 25, 11; 26, 7.
9) Polyb. XXI. 25. 11.
10) Polyb. XXI. 25—26. XXI. 29.

Ceterum Agelaum I, Pyrrhiam, alios plus semel praetura functos esse veri simile est. quod accuratius de uno quoque horum principum in lacunas inserendo disputemus, non habemus, ne extra modum iustae et rectae coniecturae prodeamus.

Vita.

Natus sum Hugo Ernestus Carolus Gillischewski Pomeranus Wolgastae anno 1870 ante diem VI. Id. Septembr patre Hugone, mercatore, matre Augusta e gente Dettmann, quos adhuc vivos pio gratoque animo colo. fidei addictus sum evangelicae. postquam usque ad aetatis annum duodevicesimum Sedini frequentavi gymnasium reale, quod vocatur Fridericum-Guilelmum et gymnasium, quod nominatur Municipale, autumno anni 1888 maturitatis testimonio instructus ad almam matrem Berolinensem accessi, ut classicis studiis operam darem. ibi professores et privatim docentes illustrissimos audivi per quattuor annos:

Brugsch, Curtius, Diels, Dilthey, Dillmann, Ebbinghaus, Geiger, Heusler, Kirchhoff, Kretschmer, Lasson, Paulsen, Roediger, E. Schmidt, J. Schmidt, Vahlen, Weinhold, Zeller. — Interfui per semestre septimum exercitationibus philologicis a Dielsio professore ill. instructis. per octavum semestre ut interessem exercitationibus Regii Philologorum Seminarii Vahlenus et Kirchhoffius moderatores benigne mihi permiserunt. quibus viris omnibus optime de me meritis, qui et in praelectionibus et in scholis optime me docuerunt, ex animi sententia gratias ago iustissimas et verissimas. aeque Erlangensibus professoribus Luchs, Römer, Falckenberg, Pöhlmann, viris illustrissimis, pro liberalitate gratiam semper habebo. Docendi facultatem mense Januario 1894 Berolini mihi constitui.

Vita.

Natus sum Hugo Ernestus Carolus Gillischewski Tremoniae Westfalorum anno 1870 ante diem VI. Id. Septembr. patre Hugone, mercatore, matre Augusta e gente Hellmann, quos adhuc vivos pie gratoque animo colo. Fidei addictus sum evangelicae. postquam usque ad octavum annum scholae elementari frequentavi Seminarii praeparandi gymnasium Halle, quod vocatur Fridericianum, Gottingae et gymnasium, quod habetur Municipale, autumno anni 1888 maturitatis testimonio instructus ad almam matrem Berolinensem accessi, ut classicis studiis operam darem; ubi professores et privatim docentes illustrissimos audivi per quattuor annos:

Bergbohm, Curtius, Diels, Dilthey, Dillmann, Ebbinghaus, Geiger, Hirschfeld, Kirchhoff, Kretschmer, Lasson, Paulsen, Roediger, E. Schmidt, J. Schmidt, Vahlen, Weinhold, Zeller. — Insuper per semestre septimum exercitationes philologicas a Diels professore institutas, per octavum semestre et proseminarii exercitationibus Regii Philologorum Seminarii Vahlenus et Kirchhoffius moderatores benigne mihi permiserunt. Quibus viris omnibus optime de me meritis, qui et in praelectionibus et in scholis optime me docuerunt, ex animi sententia gratias ago quam maximas et vehementes, atque Kirchhoffio et praeceptoribus Lucas, Römer, Falkenberg, Fehlmann, viris illustrissimis, qui benevolentia gratiam semper habebo. Examen rigorosum secundum mense Januario 1894 factum mihi constitit.